
THE LIBRARY OF CONGRESS
1800

ALBERTI HOEFER

POMERANI

DE

PRAKRITA DIALECTO

LIBRI DUO.



BEROLINI

PROSTAT APUD G. FINCKE

MDCCCXXXVI.

TYPIS ACADEMICIS.

FRANCISCO BOPP

HUNC LIBRUM

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

A. H.

PRAEFATIO.

Tres potissimum sunt causae, quae Prâkritae Dialecti hucusque iusto plus neglectae accuratam cognitionem videantur flagitare: primum, ut Indorum fabulae dramaticae, quarum magna quidem pars ipsâ hâc Dialecto conscripta est, certius intelligantur; tum vero, ut historia ipsius Sanskritae Linguae indies magis magisque absoluta evadat. Ad hanc enim rem omnium profecto maxime necessariam augendam, nihil magis est expetendum, quam ut quum de omnibus Indicis Dialectis, quas originem ex Sanskrita traxisse constat, tum de Prâkrita Dramatum Dialecto reddamur certiores. Et ipsa Prâkrita nonnisi est Sanskritae alia forma, quamvis mutila et degenerata. Nostra autem aetate, qua Vêdorum opibus reclusis fore speramus, ut ad antiquiorem etiam vel perfectiorem statum linguae traducamur cognoscendum, non inutile videbitur, linguam comparare floridam perfectamque et summum quasi fastigium superantem cum eadem quae floribus et splendore orbata in perniciem irruit, emoritur quamquam non omnino exstinguitur. Mortua profecto neque Prâkrita est, nec ulla lingua, quae formis procreandis vivam sese profitetur: ut sint for-

mae saepe monstrosae potius quam formosae: vel ex monstris et membris disiectis coniici possit, quale corpus fuerit, qualis ipsius summa absolutaque forma.

Ne tamen nimis longum et alte petitum videatur prooemium meum: tertia causa, quae reliqua est, oritur ex necessitate, omnes linguas et dialectos comparandi, quae magnae illius linguarum familiae cognatae sunt, cuius matrem Sanskritam colimus. Quum enim Sanskrita tamquam antiquissima cum aliis linguis comparari coepta est, ante omnia id videtur necessarium, ut videamus, quonam modo ipsa Sanskr. intra suos fines mutata sit; et veri est simillimum, multas certe hôc etiam loco reperiri mutationes, quas aliae quoque linguae, et inter se et cum Sanskrita comparatae, easdem subierunt.

Hae autem sunt fere causae, quibus permotus hanc Prâkritam Dialectum, ad quam solam aditum apertum videbam, ego mihi sumpsi tractandam. Quamquam hominem aliquem doctum, harum imprimis literarum peritissimum, indigenis subsidiis instructum, me quidem longe accommodatiorem sciebam ad hocce institutum perficiendum, tamen num vir ille Cel. Chr. Lassen, Bonnensis, promissis decem abhinc annis datis, etiam nunc staturus esset, dubitabam. Itaque constitui, Prâkritam in Dramatis Indorum vel superstitibus vel potius editis relictam, primus colligere, cum materna Sanskrita comparare, et quantum fieri posset, omnes eius et partes et formas et mutationes, singulari aliquo libro grammatice explicare.

Iam vero necessarium videtur, ut paucis de fontibus disseram.

Septem quidem vel octo aderant dramata, ex quibus materia prâkrita nobis erat haurienda. Sunt enim haec:

I. Sakuntala, edit. Chéziana, Parisiis 1830, cuius Sanskritam Interpretationem (s. Commentarium) Chézy, partim Mss. Paris., bengalice scriptum, sequutus, partim propria marte, in universum tamen ita confecit, ut ipsâ hâc Interpretatione nulla alia, ne illa quidem, quae Urvasiae, nedum eae, quae Calcutt. Editionibus adiectae sunt, melior et accuratior videatur. Qua in re summi hominis sagax solers constans ingenium satis perspicuum est. —

II. Vikramôrvasî, edit. Lenziana, Berolini 1833, cui Apparatum Crit. idem V. D. Lenzius addidit; quamquam ne ita quidem id effectum videmus, ut omnibus prâkritis locis, qui multi in hâc fabula reperiuntur, certum et firmum auxilium praebeatur. —

III. Iam sequuntur quinque fabulae, quarum hucusque solae Calcutt. Editt. exstant: *a*) Mrichchhakatî, Calcutt. 1829. *b*) Mâlatî-Mâdhava, 1830. *c*) Uttara Râma-Châritra, 1831. *d*) Mudrâ-Râkshasa, 1831. *e*) Ratnâvalî, 1832.

Quae quidem omnes Commentariis locorum prâkr. instructi sunt, sed maximam partem tam negligenter tantâque incuria paratis, ut nihil magis votis persequamur, quam ut brevi nova melioreque forma induta ab iis edantur, qui Prâkritae imprimis accuratam cognitionem sibi pararunt. Non hic lo-

cus est pluribus de ea ratione disputandi, qua equidem Indorum dramata edenda et sanskrite explicanda sentiam. Quamvis autem hâc de re dissentiant Viri Docti, eam tamen rationem quam Editores Calc. sequuti sunt, nemo improbandam esse negaverit.

IV. Praeterea accessit opportunum mihi Prabôdhachandrôdaya, cuius editionem diu desideratam nobis proposuit H. Brockhaus V. D., mihique eo magis exoptatam, quod haec singularis prorsus fabula, licet non magnam Prâkritae copiam contineat, in ipsa tamen hâc penuria et paupertate nonnulla suppeditat, quae digna videantur diligenti observatione.

Praeter has autem fabulas alia quaedam scripta inveniuntur, item Calc. Editt. divulgata, in quibus Prâkrita quaedam relicta sunt; huc quidem pertinent libri „Kâvyaprakâsa" 1829, et „Sâhityadarpana" 1828, inscripti. Ambo libri, primum mihi ignoti, postquam autem de iis edoctus sum, non prius mecum communicati, quam quo tempore hic liber excudi coeptus erat, raptim quidem perlustrati sunt; attamen, fateor, hi aliis maiorem utilitatem habebunt, quam mihi de Prâkrita scribenti: etenim prâkr. loci, quos exhibent, non multi sunt: alii nihil novi suppeditant; alii dubii et incerti videntur, omnes denique commentario destituti sunt; quare libros hos alii usui reponere, ab hôc autem meo consilio excludere constitui. —

Et haec quidem hactenus de fontibus.

Subsidiis recentioribus quum me omnibus fere destitutum viderem, vel ea, quaecunque aderant,

primum intacta relinquere, et nonnisi tum in usum meum convertere volui, quum meo solo iudicio ductus de unoquoque loco certam aliquam sententiam cepissem. Ubi tamen postea in hôc libro aliarum sententiarum mentio facta est, ibi earundem auctores semper allati sunt.

Ex dramatis illis primum Sakuntalam et Urvasiam, quippe quae omnium optime curata essent, et accuratissimis Commentariis uterentur, in prâkritis certe locis non solum de verbis, sed etiam de syllabis et literis saepius perscrutatus sum, ut materia aliqua prâkrita pararetur, quae pro initio et primo certo fundamento posset haberi. Tum demum sex reliqua adii inspicienda, iisque lectis et relectis ea recipiebantur, quae alia aut confirmarent probarentque, aut ad irritum vocarent et refellerent. Nova autem et in prioribus nondum reperta si quando observare licitum erat, statim cupidusque arripui meisque usibus accommodavi. Itaque non fieri poterat, quin brevi materia quidem adesset satis larga et copiosa; sed, fateor, tam varia et incerta, tam vaga et fluctuans, ut de ipsâ recte digerenda et expedienda desperare inciperem. Iam iam aut totum consilium abiiciendum et in aliud tempus magis opportunum differendum, aut crisis aliqua adhibenda erat, cuius opera rudis illa indigestaque moles aliquo modo secerneretur. Id ipsum officium statim meum esse cognovi, quamvis difficillimum. Etenim quis non videt, me circulo quodammodo circumferri: Quum enim hîc ex ipsa materia collecta

primum Prâkritae consuetudo et leges essent constituendae, tum illic ex ipsis rursus regulis, maximam partem non iam repertis sed reperiendis etiam opus erat ut diiudicaretur, quaenam vera sit Prâkritae forma, quae non item, quid ipsi dialecto, quidve solis scribis deberetur. His et aliis rebus nesciebam prorsus, unde esset auxilium petendum: Codices praeterea nulli aderant, et Lenzii App. Cr. excepto, nusquam adiumentum erat, unde alias lectiones potuissem comparare. Denique eas dialectos, quae in ore populi versantur, pro ipsa sua natura maxime inconstantes esse quum in aperto erat, tum mea me experientia docuerat. Itaque in hâc vel formarum vel solius scripturae inconstantia —, quae in nostra certe Prâkrita tanta est, ut ne una quidem regula statui possit, cuius non item exceptio inveniatur —, duplex ratio patebat admittenda: aut statuendum erat, magnam partem varietatis ex ipso vario ingenio cuiusvis scribae et librarii originem traxisse; aut illam necessariam quodammodo esse et varia genera seu gradus continere, quibus vel Sanskrita vel postea ipsa Prâkrita mutatae essent. — Et utraque ratio admittenda esse videbatur, quamquam alterutrius finis non semper certo cognoscebatur.

Sicuti autem fieri solet, ut in ipsa materia aliqua pertractanda vires corroborentur, et oculi acuantur, ita vere possum praedicare, quo diutius huic officio me dederam, eo apertius totam materiam in duas partes maiores mihi discessisse, quarum prior, plurimis certe locis probata, ita extra omnem dubita-

tionem posita videbatur, ut pro vulgari et communi Prâkrita haberetur; altera autem pars, quae rudior erat et longius a Sanskrita discedebat, paullulum difficilior videbatur et maximam partem in ipsa Prâkrita nata esse. Cf. Prolegomm. — Pro hôc vero consilio totam materiam qualemcunque constitui enarrare, omnes varias formas vel ipsa scribendi genera exponere, in unoquoque tamen loco addere, quid meo iudicio usitatissimum sit et praeferendum, quid rarum et insolitum, quid denique omnino non probandum.

In ipsa hâc ratione, materiae digerendae eoque ordine enarrandae, quo eam natam esse statui, ipsius simul explicationis non minima pars absoluta erat. Quod reliquum erat, ut conarer, non solum quî et unde quaeque forma oriretur, sed etiam, ubi fieri poterat, quae vera et necessaria causa esset indicare — in hôc quidem meo gratissimo et dulcissimo officio quomodo versatus sim — non me decet diiudicare. Hoc unum tamen iterum iterumque repetere placet: nullam regulam in Prâkr. constanter servatam esse. Quare quaecunque vel omnino negavi, vel certius asserui, ita accipi velim, ut conclusa sint vel ex longe plurimis locis, vel ex summa alicuius rei causa.

Iam vero quid voluerim, videtis; ut potui, feci, quamvis multa me non potuisse sentiam. Quare dubitabitur fortasse, utrum institutum meum prudens an temerarium fuerit. Quum enim ita res sese haberent, ut, commentariis exceptis — quibus, quamquam male curatis, tamen non minimum me debere

subst. prǎkriti: „natura" — formatum —, sic Bopp. Gloss. s. v. — significatio et hôc et illô modô eadem fere est. Aut enim significat: quod profectum, ductum est (heraus, hervorgebildet), aut: naturalis, ut ita dicam. Natura autem, arbitror, eâ potissimum de causa Sanskrite: prakriti nominata est, quia ipsa sicut omnia haec, quae sunt in orbe terrarum, ex spiritu s. numine divino emanasse credebatur; quia formata, creata est: „*procreata*" et de radice et de notione, quam involvit, prorsus cum nostro: prâkrita congruit.

§. 2. Ex hâc primâ aliae deinceps nascuntur notiones. Quum enim id, quod naturale est, simul sit commune s. vulgare; id ipsum autem, si cum singulari, — vel id quod profectum est et emanavit, si cum fonte, ex quo profluxit, — comparatur, quum necesse sit, ut ipso fonte s. causâ efficiente multo videatur vilius, levius, deterius; non mirabimur, quod haec quoque notio: vilis etc. voce: prâkrita indicatur: prâkrita est homo vilis, nequam. Itaque eae notiones oriuntur, quas Wilso in hôc verbo inesse statuit: cf. Lexic. II. pg. 584. *b*. low, common, vulgar; 2. natural etc. quae alio tamen ordine debebant enumerari, ita ut nexus earum apertus fieret: non enim in verbo ipso eiusque radice positae sunt, sed in usu: quare falsa sunt, quae addit V. D. de origine „or pra, pre-eminently, and: akrita, not made", — nescio ad quamnam velut propriam notionem explicandam, utrum ad „natural" an ad „low" etc. nam „akrita" est rudis, vilis, non-factus.

§. 3. Itaque si de lingua aliqua s. sermone adhibetur haec vox, potest indicare aut eam, quae ex alia quadam ducta s. derivata, aut eam, quae cum alia ubi comparatur, vulgaris et communis, aut denique quae illâ est deterior, rudior, minus exculta. Omnes tres notiones in nostram potissimum cadunt dialectum; et quod nomen ipsum profitetur, verum rectumque cognoscitur, si veterum Grammaticorum testimonia ipsamque simul formam et naturam, quam illa dialectus praebet, accurate perlustramus.

§. II.

UBI INVENITUR PRAKRITA DIALECTUS, ET QUALES EA HOMINES UTUNTUR?

§. 4. Postquam cognovimus, quid ex solo nomine coniici possit, quaerimus id ipsum cuinam dialecto sit tributum.

Duplex enim invenitur in dramaticis fabulis Indorum genus orationis: alterum Sanscritum; alterum, ab illo accurate distinctum, minime Sanscritum. Iis locis, qui hôc altero sermone sunt conscripti, quo facilius intelligerentur, non quidem ab ipsis dramatum auctoribus, sed a posterioribus ut videtur scholiastis, sanscrita adiecta est interpretatio, quae in omnibus fere dramatum titulis „प्रा-कृतभाषाव्याख्या i. e. prâkriti sermonis commentarius" nominatur. Eadem vox प्राकृत hic illic in ipsis dramatis reperitur. — Sequitur ni fallor, ut nomen illius sermonis quem modo non sanscritum esse significavimus, Prâkrita fuerit; cuius rei ipsi Indorum grammatici sunt testes, qui etiamsi non mihi ad manus sunt, ab aliis tamen afferuntur, velut a Colebrooke, viro summae his in rebus auctoritatis, in Commentatione „on Sanskrit and Prâkrit poetry" in Asiat. Research. vol. X (1811) pg. 393, ubi haec leguntur: The Prâkrit is the language usually employed under this name by dramatik writers" et q. sq. Hic iam subsistendum est.

§. 5. Videamus, quemadmodum scriptores Prâkritam adhibuerint, et qualis sit ratio externa, qua utrumque genus orationis — et Sanskritum et Prâkritum —, in uno eodemque dramate coniunctum sit. —

Hac de re reperio in Leydenii commentatione „on the languages and litterature of the indo-chinese nations" in Asiat. Res. vol. X pg. 283 — haec: „the Prâkrit — is appropriated to females and respectable characters of an inferior class, in dramas"; et apud Wilson. in Lexico s. v. „Pr. is any dialect not Sanskrit, it is especially spoken by the female characters and the inferior personages

of plays." cf. eundem in Theat. of the Hindus T. I. prooem. — Hos sequuti alii, qui postea de hac re sententiam tulerunt, eodem fere modo inter utrumque genus dicendi secernendum esse statuerunt, quare discrimen illud ita divulgatum est in omnesque transiit libros, ut nemo iam quin verum esset dubitaret. Etiamsi non falsum est, certioribus tamen, quibus fieri potest, finibus circumscribendum erit. Hoc enim in universum statui, non autem pro certo potest accipi: nam exceptiones ubivis admittuntur.

1) Primum *feminae,* quotiescunque prodeunt in scenam, fere semper prâkrito sermone utuntur, ne nymphis quidem et geniis (cf. Sk. 116. Urv. p. 3. 8-9. Utt. Act. VI. p. 103.) ne regina et regis matre (cf. Urv. 47. Uttar. 3. 41. 47. 121; 75-76.) ne ipsa quidem regis amicâ, quae summas partes agere solet (U. 77. Sak. 9. Mal. 27. Ratnav. s. Sagarika; vel Brachmani amica Mri. 18. 52. etc.) nedum asceticis, (Mal. 44, 106. 35, 127. Urv. 85. Sak. 106.) scenicis (Mri. 4. Ratnav. 3. Mudr. 2. 3. Sak. 1. 2. Prab. 1.) ancillis etc. (Urv. act. II. Mri. 52. 181. Mal. 25. 33-34. etc.) exceptis. —

2) Mulieres et puellae sicuti prâkrite loquuntur, sic etiam pr. scribunt: cf. literas amatorias Urv. et Sak. Praeterea autem, si verba alicuius Skr. loquentis referunt, et ipsae Skr. linguâ utuntur, velut Sak. 76, 1. — Quod attinet ad deas, in fabulis Vikramôrv. et Sakunt. quantum videam neque ulla femina, nec ulla dea, ne ipsa mater quidem Deorum, Aditi — cf. Sak. p. 161. — Skr. loquitur, sed omnes Prâkr. Non ita in ceteris, posterioribus, dramatis; imprimis in Mâl. Mâdh. et Uttar. Râm. C'ar. — Malati — cf. ibid. pg. 27. etc. 42, 98. — prâkrite loquitur, at ib. pg. 32. 33 Sanskritis versibus, id quod verbis „संस्कृतमाश्रित्य i. e. ad Sanskritam acced., transiens" indicatur. Similiter Lavangikâ prâkr. cf. 27. 52; at sanskr. p. 116. cf. Mri. 165. Tum Mal. nutrix, Kamandakî, sacerdos, semper Sanskr. cf. 4. 6. 34. 43. 68. 70. 101. 162; et una Saudaminî ex huius discipulis: cf. act. IX. 144-146; aliae autem duae eius-

dem puellae prâkr.: 44, 106. 35, 127; et rursus alia sacerdos, Kapâlakundalâ, Skrite p. 74. 87. — Sic in Uttara R. C'., Sitâ, regis coniuge, et matre eiusdem, Kausalyâ, exceptis — cf. no. 3. — omnes mulieres Sanskrito sermone usae introducuntur: Arundhatî 75. sq. 128; Atreyì, asceticae piae, p. 25-30; tum deae: Ganga p. 123. Prithvi (d. terrae) p. 122; d. silvarum p. 25. 28. 47 (Vasanti); Tamasâ et Muralâ, d. fluviorum, act. III. p. 37. etc. — Itaque satis mirum videtur, quod fuerunt qui dramata Indorum legerent et tamen contenderent, mulieres nonnisi Prâkrite loqui.

3) Neque *de viris res* sese multo aliter habet. Rex enim (Urv. p. 32. Sak. 4. Utt. C'. 30. 107. Mudr. 66. Rtn., et qui primum locum tenent Mâdhava in Mâl. 11 ct. et C'ârudatta in Mri. p. 15 ct.); spectaculi moderator i. e. Sutradhâra (Mri. 1. Mal. 1-4. Utt. 1-4 etc.); histrio, ubi hic, et non puella scenica (cf. Urv. Mal. Utt. C'.) partes agit in prolusione; sacerdotes (Mal. 81-84.) anachoretae et ascetici (Urv. 92. Sak. Kanva. Utt. R. C'. 5. 31. 74. 78;) —; Kanc'ukì i. e. cubicularius (Urv. 36. 46. 83, 6. Sak. 140. 141. Utt. 4. 75. 82. Mudr. 36. 57. etc.) — hi plerumque Sanskrita verba dicunt. Alii autem: Viduschaka imprimis i. e. regis conviva et assecla, licet usu familiarissimo cum rege sit coniunctus, eiusque amicus et brachmanus appelletur (Urv. act. II. Sak. Madhavya, Vasantaka in Rtnv. Maitrêya in Mri. 14 sequ.) regis aliorumque servi, ianitores (Mri. 74. Mudr. 83. 92. Mal. 22.); legati (Utt. 18. Rtn.) magi, mendici: (Mudr. 93. Rtn. Mri.) mercatores etc. denique qui munere publico inferioris ordinis funguntur, similemque vitam agunt, praefecti, milites etc. hi prâkrito sermone solent uti. — Contra Dii et numina divina ubi prodeunt, semper Sanskrite loquuntur: cf. Sak. act. VII. p. 160 sqq. Marîc'a. ib. p. 147: Mâtali i. e. Indri auriga. Urv. act. 1. p. 10: C'itraratha i. e. Gandharvorum princeps, alii; qui usus ita extenditur ut ii quoque Sanskritam linguam adhibeant, qui ministri sunt atque nuntii Deorum, qui sacrificia colunt etc. —

4) Et ne haec quidem pro certis regulis possunt accipi, quae nunquam fuerint neglectae. Praeterea autem stilum s. genus orationis tanta cum lubidine, tanta cum varietate electum et distributum esse licet observare, ut intra fines tum unius eiusdemque dramatis, tum eorum, quae si non ab eodem scriptore, eodem certe tempore sunt conscripta, homines, simili ordine vitaeque ratione coniuncti modo hanc, modo illam linguam adhibeant. — Sic liberi vel potius pueri (cf. Urv. act.V. p. 85. et Sak. act.VII. p. 152.) sic regis ministri, aulici, servi (auriga plerumque Sanskrite: Utt. V. 92. sq. Urv. 8. 9. Sak. 4. etc.) sic denique sapientes, brachmani (C'arudatti frater, Samsthanaka prakr. Mri. 17. cet.; at eius socius et amicus sanskr. ib. 17. etc.) ascetici, discipuli, cf. Urv. act. III. init. ubi duo intrant Bharati discipuli, quorum alter, Pailavus, prâkr. p. 35.; alter autem p. 35. sanskrite loquitur. Cur vero? Et is quidem, qui prâkrita verba respondet, quum sit iussus a praeceptore, ut ipsius sedem capiat in vehiculo, non potest dubitari, quin sit idem doctus atque sapiens. Eodem modo ex Râks'asi amicis alter prâkrite Mudr. 24, 144; alter sanskr. ib. 51. 88. etc. Quid? quod unus idemque homo interdum — cf. no. 2. ubi idem de feminis animadvertitur — et prkr. et skr. loquitur: quod tamen nonnisi rarissime a poëtis admissum videtur: sic Mri. pg. 2. inde a lin. ult. prkr. verba sequuntur usque ad pag. 10. eiusdem moderatoris spectaculi, qui antea sanskr. loquutus est: प्राकृतभाषी संवृत्त, ut videtur, ut facilius a scenicâ puellâ intelligeretur; sed in nullo reliquorum dramatum prâkr. colloquitur cum illa. Tum praecipue in Urv. act. IV. Rex quantum sciam hôc tantummodo loco prâkr. sermone usus est, sed nonnisi versibus, et ita plerumque, ut sanskritam orationem sequatur prâkrita, prâkritam sanskrita: unde pulcherrima et dulcis suavisque orationis vicissitudo oritur; quae sola et una movit ni fallor ad genus orationis mutandum. Non vero causa in eo posita est, quod animalia et feras etc. alloquitur; quae tum Sanskritam, tum

prâkritam intellexisse videntur — cf. Aelian. d. nat. animall. lib. XI. cp. XIV. et XXV. pg. 250. et 256. ed. Jacobs, ubi elephantes Indorum linguam intelligere creduntur — rex enim utrâque utitur. cf. Urv. pg. 68. 70. etc. —

Et haec quidem hactenus de illa ratione, qua utrumque genus dicendi in dramatis adhibitum invenimus.

§. 6. Itaque apertum est, eos certe errare, qui poëtas certas regulas s. certam normam, ex ordine, cui quisque erat adscriptus, petitam ante oculos habuisse, eamque sequutos hunc sanskrite, illum autem prâkr. loquentem fecisse arbitrentur. Equidem firmam ac constantem causam nullam prorsus invenire potui. E contrario, ut dicam, quod sentio, videntur mihi poëtae prâkritam artificiose quodammodo propter varietatem et iucundam orationis vicissitudinem admisisse, ita tamen prudenter hâc in re egisse, ut id genus orationis eligerent, quod cuivis personae eiusque tum ordini et loco, tum moribus aptum et commodum iudicarent. — Quod vero „artificiose quodammodo" dixi, hoc non ita intelligi volo, ut ipsos poëtas primos prâkritam invenisse seu formasse statuerem. Minime: nam dramata, quae publice recitabantur, a populo, nisi illius sermonis fuisset peritus, vix intellecta essent: Prâkrita paullo longius interdum a Sanskrita discedit, quam ut vel ab eo qui sit sanskrite doctissimus, simulatque audiretur, recte intelligeretur, cf. §. 9. *a. b.* Praeterea, si poëtae prâkritam finxissent, valde miraremur, cur prâkritus sermo unus idemque fere sit tum in antiquissimis, tum in recentioribus dramatis. Cuius rei quae vera sit causa, postea videbimus. §. 8. —

§. 7. Quum igitur hôc modo verisimillimum sit, prâkritam dialectum, quae in dramatis Indorum invenitur, non propriam et ab aliis diversam linguam fuisse, quae alibi non item reperiretur, hôc quidem loco quaeritur: quid praeterea amplexum sit nomen: Prâkrita? Qua de re accurata disquisitio quum difficillima, tum non mea est,

qui subsidiis necessariis destitutus sum; nihilominus addam quae huc pertinent verba Leydenii haec l. l. p. 282. extr.: „The Prâkrit is the language which contains the greater part of the sacred books of the G'ainas", et ib. pg. 283. „The term pr., both in books, and in common use among the Brahmens, is employed with some degree of latitude. Sometimes the term is confined to a particular dialect, employed by the G'ainas, as the language of religion and science and appropriated — cf. supra — in dramas. Sometimes it includes all the dialects derived immediately from the Sanskrit, wether denominated Prâkrit, Mâgadhi, Suraseni, Pais'achi or Apabhrans'a; and sometimes it is even extended to the Dêsa-bhâs'as, or popular tongues of India, as Mahrâsht or Mahratta, Canara, Telinga, Udia and Bengali." — cf. etiam: Essai sur le Pali par E. Burnouf et Chr. Lassen §. V.

§. 8. Prâkrita igitur proprie non certa aliqua lingua, sed appellatio fuit omnium dialectorum linguae sanskritae, s. cuiusvis formae depravatae, quam Sanskrita in ore atque usu populi in variis regionibus varie induit. Quare omnes, quae hôc nomine comprehenduntur, tum inter sese, tum Sanskritae sunt cognatae. Quodsi Prâkrita nobis est Sanskritae quaevis forma degenerata, non possumus, quin Hêmac'andro, veteri grammatico Indorum assentiamur, qui cur hoc nomen positum sit, eam potissimum causam sibi videtur invenisse, quod haec dialectus ex Sanskr. sit ducta, cf. Colebrookii Comm. l. l. p. 393; et ipsa illius ex grammatica petita verba haec, quae in tabula A. ad pg. 257. s. lit. *a.* leguntur: प्राकृतिः संस्कृते ॥ तत्र भवं ततः आगतं वा प्राकृतम् i. e. Prâkrita in Sanskritâ — in hâc origo; vel inde profecta est Prâkrita. — Aliae autem ambae significationes, quas in hôc verbo inesse posse indicavimus, facile oriebantur, ubi sanskritae linguae opponebatur, cuius nomen profitetur, quam perfecta atque exculta visa fuerit; quae praeterea classica lingua erat et sacro doctorum et sapientum usui destinata. Hunc

vero propter usum et quum libri sancti eâ conscripti essent, factum esse credendum est, ut lg. sanskrita simul ac formam certam nacta est, eam in posterum eandem fere et haud multo immutatam servaverit. Prâkrita denique, quae Sanskritae quodammodo adstricta et quasi in eâ erat, eâdem utebatur ratione et via, quam illa erat ingressa. —

Itaque hôc ultimo loco fit apertum arbitror, normam si quam sequuti sint poëtae, nullam aliam fuisse, praeter eam rationem dicendi, qua quisque per vitam ipsam utebatur. Qua in re verisimile est, quo quis propius ad Sanskritam, tanquam fontem, accederet, eo clariorem et puriorem, quae inde hausta fuerit, aquam profluxisse, Prâkritam.

§. III.

QUAENAM EST NATURA ET INDOLES PRAKRITAE CUM SANSKRITA ALIISQUE LINGUIS COMPARATAE?

§. 9. Quae quidem hucusque de Prâkrita disputata sunt, recte sese habere, postea aliis ex causis intelligetur, ubi singulas formas quas Pr. praebet, uno conspectu comprehendemus et ex Sanskr. tanquam fonte suo explicare et intelligere conabimur. Id quod velut proprium et summum huius libri consilium nobis proposuimus. Antequam ad hanc partem transeamus, videre licet, quae in universum prâkritae sit natura atque indoles, meae solummodo s. eius quae in dramatis invenitur, de qua sola iudicium ferri potest.

a) Primum quidem eum, qui multas illas maximeque diversas formas, quibus non raro una Sanskr. vox immutatur, perlustrat non potest fugere, ipsâ dramatum dialecto complures contineri dialectos prâkritas. — Sic Burn. et Lass. essai pg. 156 - 157. secundum Grammat. Vararutchi docuerunt transitum literae स in श, lit. र in ल, nomin. sgl. in ए pro ओ, genit. in आह pro अस्य etc. propria

esse eius dialecti, quae Magadhi dicitur; hae autem formae saepenumero in dramatis inveniuntur. cf. §. 55, 2. 60, 2. 111, 6. 118, *c*. Attamen non fieri potest ut suum cuique formae nomen et locum tribuamus; quod ne opus quidem est; quum enim pro nostra opinione omnes hae dialecti ex Sanskrita lingua natae sint, id potius efficere studebimus ut intelligatur quî et unde quaevis forma ducenda sit. Accedit enim, quod

b) ipsa Prâkrita nonnunquam, velut propria lingua, suo et proprio more progreditur, itaque formas recentes procreat, quae quum non a Sanskr. acceptae sed ex ipsis prâkritis denuo historica ratione formatae sint, vere prâkritae iudicandae sunt. — Hinc multae et diversae formae oriuntur, quarum complures non intelligi possunt, nisi compertum habeamus, quae prima et antiquissima ex sanskr. orta sit, cf. cas. et impr. pron. formas. Quare necesse est, ut in ipsa nostra disquisitione, quantum fieri poterit, historica utamur ratione.

c) Illas autem formas, quae hôc duplici modo oriantur, non potest negari, ita in dramatis adhiberi, ut respectus habeatur tum ad mores tum ad locum eorum, qui hôc sermone utuntur. Quo longius genus prâkr. a Sanskrita remotum est, eo rudius magisque barbarum videtur. Sed quam cautissime hac in re diiudicanda agendum est. Nam eaedem formae, quae in locis quibusdam, a ceteris multo discrepantibus, *barbarisque*, opera consulta adhibentur, — hic illic inveniuntur sine iusta causa usurpatae, et *vulgari* prâkritae generi admixtae. —

§. 10. *Primo libro* explicabimus, quomodo literae singulae in Pr. dial. mutatae sint. Consentaneum videtur, inter duas partes secernere, quibus, sicut homo ex anima et corpore, ita tota linguae materia consistit, inter vocales diphthongosque, et consonantes.

A. Vocales

quamquam in universum eandem habent vim, quam in linguâ sanskr.

tenent, tamen non amplius tam accurate distinguuntur, quod attinet ad sonum. Et quidem

I. *Simplices vocales*

ubi non retinentur tales, quales in Skr. sunt

1) variis modis immutantur, tum

a) de natura ipsa, si cum dissimilibus; tum

b) de sola quantitate, similes ubi cum similibus permutantur, longae potissimum cum brevibus, qua in re tamen id, quod amiserunt longae, plerumque alio modo retinetur et compensatur. Huc pertinent aliae, quae licet Sanskritae imprimis propriae sint, prorsus fere evanescunt et *raris* locis exceptis nunquam inveniuntur. Aliae autem

2) prorsus interdum omittuntur s. absorbentur, aut una cum consonantibus, quibus adiectae erant, aut ita, ut haec litera cum vocali ea quae vel sequitur vel antecedit, coniungatur. Denique, ubi

3) in Skr. non audiebantur, prâkrite interdum occurrunt, seu loco consonant., seu his servatis, interpositae, praefixae etc.

Cuius rei quum certae vix statui possint leges, — nisi causa in vi et natura posita sit literarum quae antecedunt vel sequuntur, vix aliam invenies praeter depravatam pronunciationem, quae tono mutato modo extendit et producit, modo reticet et absorbet. — Idem fere

II. *de Diphthongis*

licet observare, s. compositis vocalibus; quae etiamsi non prorsus evanuerunt, neque tam varie permutantur, nonnunquam tamen in simplicia elementa ex quibus constant, transeunt: seu utrumque, non coniunctum, tuentur, quod perquam raro fit; seu unum excludunt, alterum autem solum retinent et varie denuo ut simplicem vocalem immutant. Illud quidem quomodo fieri potuerit, cap. II. ex natura diphthongorum intelligetur. —

Iam vero transeamus ad

B. Consonantes,

quo in loco primum id videtur necessarium, ut seiungamus eas, quae una cum vocalibus suis unam sillabam efficiunt et simplices ponuntur, — ab illis, quae cum aliis consonantibus, nullâ vocali interposita, coniunctae sunt.

I. *De simplicibus consonantibus*

1) Omnes retinentur haud mutatae. Quod etiamsi non eodem modo cadit in omnes, de unaquaque tamen uno alterove exemplo potest demonstrari. E contrario

2) Omnes fere literae immutantur plus minusve, saepius vel rarius, et vix unam invenies, quae formam suam semper eandem servasset. Quibus in generibus permutationis recte explicandis non refert multum, locum quem quaeque teneat litera respicere, utrum in medio an in initio verborum posita sit. In fine verborum nunquam collocantur literae cons. cf. §. 11. Plus vero attinet, ipsam naturam literarum, quae immutantur, animadvertere. Permutantur enim

a) intra fines ordinum quibus pro organo, ut ita dicam, quo pronunciantur, adscriptae sunt. Huc pertinent imprimis tenues, quae aut in medias, aut in ipsarum vel sonoras aspiratas transeunt. Tum aspiratae potissimum, quae quum ex duabus partibus constent, duplici modo possunt mutari. Aut enim, aspiratione abiecta, in simplices consonantes transeunt, aut his omissis solam aspirationem tenent. Denique semivocales propter affinitatem qua cum vocalibus sunt coniunctae, in vocales interdum dissolvuntur.

b) Ultra hosce fines transgredientes, literae commutantur, quae variis adnumerantur ordinibus. Sic dentales fiunt linguales, et multae praeterea singulae permutationes, quarum hic non est locus enumerandi.

3) Plurimae denique consonantes hic illic eiiciuntur, ita ta-

men ut vocalis addita plerumque sola servetur et nonnisi rarissime simul omittatur.

II. *De coniunctis consonantibus.*

Ubi Sanskrita in initio vel medio verborum duas vel plures consonantes habet coniunctas, Prâkritam licet observare

1) easdem interdum admisisse non mutatas et prorsus tales quales a sanskr. traditae erant; sed raro.

2) Ipsas licet consonantes non mutaret, tamen, quippe quae paullo difficiliores viderentur pronunciatu, in iis adhibendis variis usa est auxiliis. Quare factum est,

a) ut non raro vocales insertas reperiamus;

b) ut cons. per metathesin transponantur.

3) Saepissime ipsas consonantes immutavit,

a) ita, ut si fieri poterat, in vocales abirent, vel Semivocales dissolverentur; tum vero

b) hôc modo ut unam alteramve prorsus eiiceret, satis constanter ubi tres consonantes conveniunt; aut denique

c) per assimilationem cons. similes redderet. Quod quidem studium tam late patet in prâkrita dialecto, ut hoc potissimum persequendo a sanskrita lingua differat. —

Haec vero sunt, quae in universum de literis prkr. mutatis hic dici possunt. Restant autem tria praecipue, quae quum aut ex illis sequerentur, aut ad doctrinam de literis et sonis pertinerent, hôc in locô videbantur collocanda. In his quoque propria natura huius dialecti maxime perspicitur. —

§. 11. Quum in Prâkr. consonantes saepissime elidantur, hôc etiam loco credibile est, saepe complures inveniri vocales, quibus nulla litera cons. interposita sit. Itaque si non auxilium aliquod adhibetur, necesse est, hiatus oriatur. Quaeritur, quid tum Prâkrita agat? Id quod hôc loco videamus licet, paullo quidem latius

et accuratius, propterea quod huic rei tractandae nusquam commodior locus dabitur.

De Hiatu.

In lingua Sanskrita hiatus quantum licet, evitari solet. Ubi plures vocales conveniunt, id quod praecipue in medio duorum verborum fieri solet, aut contrahuntur, aut una earum eiicitur. Quae quidem lex eo sensu, quo in Sanskrita, apud nullum populum valet. Quum enim veteres et Graeci imprimis hiatum evitare studerent, quippe qui unitatem et consensum, ad rhythmum conformandum necessarium tolleret et perturbaret, Indorum auribus (paucis locis exceptis) plane non ferendus videbatur neque in pedestri et soluta, neque in poëtica oratione. Quidquid autem de hiatu statuitur, hoc certe constat et apertum est ex variis legibus, quas hac in re unaquaeque lingua sequitur, per sese hiatum neque probandum neque improbandum esse. — Utrum admitti possit, nec ne, vel quatenus, haec quidem res externa tum in organorum, quorum opera literae proferuntur, tum in aurium constructione videtur posita esse. Sed quamquam certa illa et propria ratio, quam quaeque lingua in hiatu admittendo sequitur, neque laudi unquam, neque opprobrio et dedecori est ducenda, tamen haud negaverim, formam ipsam et speciem externam maxime hâc ratione immutari. Agitur enim de vocalibus, et quae lingua hiatum nunquam aut raro tantum evitavit, eam vocalibus abundare necesse est. Itaque Sanskrita lingua, cuius quaeque fere syllaba habet unam consonantem, et unam vocalem, quae rarissime sinit, ut complures vocales conveniant, hâc ipsa in re speciem prae fert exactae prorsus, et satis perfectae linguae, cuius anima et corpus ea qua debet ratione sunt coniuncta. —

At in prâkr. dialecto, quam diversa sunt omnia, quam mutata ipsius facies. Quanta ubique copia et abundantia vocalium, paucis consonantibus interiectis, quare profecto animam quasi solam et tardo suo et gravi corpore destitutam adspicere nobis videamur.

Nam Prâkr. hiatum ubique admisit, neque raro accidit ut in uno verbo, quod ex quatuor s. quinque syllabis constat, omnes fere consonantes elidantur et totidem vocales occurrant, neque consonantibus disiunctae, neque contractae: itaque multa verba ex solis vocalibus constant. Sicuti haec exempla docent: uaô, uaê, dêîê, êâini, hiaâe, vel etiam, levi lit. h excepta, quinque in: dihâuuhaa, et alia multa, quae in Sanskr. paullo aliter sonant, arbitror, ita: udakô, udakê, dêvjâ, êkâkinî, hridayayâ, dìrghâyurubhaya etc. Itaque hiatum in prkr. dial. maxime divulgatum videmus. Quî vero oriatur, per sese apertum est; aut iis auxiliis, quibus Sanskr. ad illum evitandum utitur, neglectis et repudiatis, aut, ubi sanskr. in lingua non potest inveniri, prâkr. consonantibus eiectis e medio verborum. Huc accedit, quod in *fine verb. nulla consonans litera reperitur;* et quaecunque terminationes sanscritae in conson. exeunt, omnes prâkrite aut anusvaram, quae dicitur, habent aut vocalem aliquam. Qua de re infra accuratius disputabitur.

§. 12. Quum externa species formarum imprimis in Prkr. longe alia reddita sit, quam in sanskr., aliae crescant, plures etiam corripiantur, non potuit fieri, quin tonus verborum mutatus sit. Quam iacturam similiter omnes recentiores et derivatae linguae fecerunt. Sed est haec res summi momenti, quare etiamsi eam non plane cognoscere possumus, caveamus tamen, ne prorsus praetermittamus.

Pauca addenda sunt de usu signorum, quorum unum certe saepissime adhibetur et multo latiore sensu, quam in Sanskrita. Anusvaram dico, quae hic alias sequitur leges cf. §. *65* sq. Alia autem supervacanea esse, velut Viramam et Apostrophum, sequitur ex illis, quae supra commemoravimus §. 11. Similiter res sese habet de Visarga, quum plurimae formae, in quibus locum habere potuisset, ipsae mutatae sint. Quare hisce signis, quibus nullo modo opus est, suadeo, ut textum prâkritum liberent editores. —

In editionibus, quales nunc habemus, hic illic leguntur; at delenda sunt. — Signa quae locum tenent conson. ्, in Prâkr. non adhibentur. —

Vocalium incrementa, quae Guna et Vriddhi nominantur, amplius neque constanter nec necessario admittuntur. Ubi in sanskrita erant, in prâkr. sicut diphthongi usitato more solent mutari. —

§. 13. At duplex est ratio linguae alicuius considerandae, sicuti omnia verba et tota nimirum lingua, aut ex singulis elementis quae per sese vita careant, constare videntur, ex conson. et vocalibus, aut ex formis, quae nascuntur et vivunt. Itaque

altera parte huius libri doctrinam de Sanskritae

formis in prkr. dial. mutatis

enarrandam suscipiemus, duplicem potissimum. Sed his in rebus vix certum aliquid potest effici, antequam ad singula transeamus. In universum autem haec possunt statui,

I. de declinatione nominum.

Prâkr. in idem vitium irruere coepit, in quod omnes recentiores linguae, si cum veteribus comparantur, incidisse videntur: multas formas neglexit et omisit: sic Dualis fere tota interiit et Dativi nonnisi rara et levissima occurrunt exempla. Terminationes multas et singulas et proprias formas praebent, quarum alia pars veras et veteres retinuit et ad antiquiorem recessit statum, quam quem sanskrita obtinet, id quod potissimum cadit in pronomina; aliae autem adulterinae sunt, quae ita oriebantur, ut Prkr. quum veterum terminationum naturam ignoraret, novas et recentes formandas esse crederet. Quare in uno eodemque verbo saepe complures inveniuntur terminationes. — Formatio verborum primae declinationis multo latius patet, quam in Sanskrita.

II. De coniugatione verborum.

Hôc loco apertius est, quam degenerata Prkr. sit; plures etiam for-

mas omisit, quam in declin.: primum Dualem, tum fere totam formam Atmanêpadi, praeterea tempora quaedam, velut Potent., Perfecta, Precat. etc. denique formas nonnullas participiales. Quum tamen earum hic illic exempla s. vestigia reperiantur, etiamsi dualis fere nunquam, Atmanepadi tamen et Gerundii saepius; eorum satis temeraria et levis videatur opinio qui has formas omnino non in Prâkr. reperiri statuerunt. —

Tum vero decem illi coniugationis ordines, in quos omnium verborum tempora IV priora, quae specialia dicimus, rediguntur, si non evanuere, coepti tamen sunt deleri et perturbari. Terminationes vero in universum non multum mutatae sunt. —

§. 14. Iam vero omnia quae de Prâkritae natura et indole disputavimus, liceat denique uno conspectu et imagine quasi adumbrata comprehendere brevissime ita:

Prâkrita quum hôc loco iuvenili quodam orationis vigore frui videtur, tum aliô speciem prae se fert depravatae mollis effeminatae dialecti, quae, quod exactas tum sonorum tum formarum distinctiones praetermisit; subtiliores easdemque pulcherrimas leges neglexit et si quas sequitur, vel ignoravit, vel temere et falso adhibuit; vetera denique et vera nonnisi rarissime retinuit, ad meliora autem fere nunquam processit: vix sese dignam praestitit, quae Perfectae atque Ornatae filia sit genuina. —

§. 15. Prâkritam — ut moneam hôc ultimo loco paucis verbis de ea ratione, qua ex Sanskr. nata est, — miro quodam et arctissimo saepe modo cum aliis et recentioribus et iis omnino linguis quae derivatae sunt, coniunctam videmus. Sic zendica et persica, si cum sanskr. comparantur; romanicae si initia ex latina repetuntur; germanicae et recentiores dialecti, si origines ad veterem germanicam et gothicam linguas referuntur: — omnes multas formas et locos legesque praebent, quae cum illis ex prakr.

petitis sibi invicem explicandis maxime sunt idoneae. — De aliis earum — Viris qui summi hisce literis praesunt, Boppio inprimis et Grimmio, tam multum debemus ut vix quidquam relictum sit; — de aliis autem desideratur adhuc, qui simili eruditione, sagacitate, ingenii acumine instructus ad hocce consilium persequendum sese succingat. —

LIBER PRIMUS.

DE LITERIS IN PRAKRITA DIAL. MUTATIS.

---

§. 16. Positum quidem est in ipsa natura earum dialectorum, quae in usu atque ore populi versantur, ut singula verborum elementa, vocales et consonantes maxime prae ceterisque et immutentur et inter sese permutentur. Quamquam his in rebus, cur hôc loco ita, alio loco aliter mutatae sint, non certis semper legibus adstrictum est, per se tamen potest exspectari, quaecunque inveniantur genera mutationis, potuisse quidem admitti, et nulla prorsus contra universam vim et naturam literarum offendere. Quare in comparandis vocalibus, praecipue in formis grammat., quae in Prâkr. suô saepe et proprio more oriuntur, caute et cautissime agendum est. — Nam si omnes formas huc trahere voluissem, in quibus alias prâkritas, alias sanskr. inveni seu vocales, seu consonantes, tum nullo negotio potuissem docere, unamquamque vocalem in aliam quamvis transiisse. Itaque neque ô et ê in अस्मोभिस् et अह्मेहिं, को et के; ô et i in प्राप्नोमि et पाविमि etc. etc.; neque ण et क et ष in terminationibus Gen. plur. hôc loco comparare placet. Quomodo in hisce formis literarum mutatio sit intelligenda, in altera huius libri parte videbimus. Certissimas autem mutationes ex quibus concludere liceat, eas iudico, in quibus, formatione non mutata, literae mutatae sunt.

A. DE VOCALIBUS ET DIPHTHONGIS.

Caput I.

De vocalibus simplicibus.

§. 17. Tres simplices vocales a, i, u breves longaeque, quae sanskritae omniumque linguarum sunt communes, inveniuntur etiam in prâkr. eodem fere loco, quem in sanskr. tenent. Ubi vero mutatae sunt, id quod duplici modo fieri potest, — cf. proll. §. 10. 1. — causa tum in pronunciatione depravata et minus distincta, tum in natura literarum conson., quibus additae sunt, quaerenda est. Intercedit enim ratio aliqua inter conson. et vocales, qua sibi sunt cognatae, ut voc. i et dentales, palatinae, semivocales y et r; u et labiales, linguales, semivoc. l et v; a et gutturales etc. Quod quidem hôc loco tetigisse satis sit.

De vocalibus अ et आ.

§. 18. *Voc.* अ *brevis*

I. plerumque retinetur sicuti in sanskrita. Attamen

II. interdum immutatur, et quidem

1) transiit in आ longam:

a) ubi, tono mutato, syllaba producitur, quae in Skr. brevem vocalem habet: U. 8, 13. Mri. 184, 2: भणासि. Mri. 183. l. 3: भणादि Utt. 43, 2. pro भणति etc. Tonus in penultimam processit. Tum

b) ubi syllaba, nonnisi positione longa, propterea quod ex duabus conson. una absorbetur, aperta fit. Sic काडुं pro कर्तुम् Urv. 28. lin. 17. cf. Mri. 234, 1. Mudr. 134, 2; etiam ubi duplices conson. erant: दाहिणं pro दक्षिणाम् Mri. 188, 1; et ni fallor interdum ubi semivoc. य् eiecta est: cf. §. 54, 1. — Fortasse य् positionem fecit sicut lat. j in mâior etc.; et in verbis haud dubie arcte cum antecedenti voc. coniunctum est. Itaque णिअत्ताइडुं pro: nivartaj-itum etc.

Nota. Excipiendi videntur ii loci, in quibus sec. §§. 76-78. duarum consonantium concursus non unâ cons. eiectâ, sed vocali aliqua insertâ evitatur; ita ut pro duabus syllabis tres oriantur. Sic idem illud कर्तुम् fieri potuit करिदुं Sak. 142, 1. Similiter अरिहदि pro अर्हति etc. — cf. cp. IV. §. 77. — At vocalis euphonica (s. i, s. u, s. a.) non effecit, ut syllaba redderetur aperta (ka-ri-); e contrario quum pronunciaretur: kar-idum, ar-ihadi etc., necesse erat, ut brevis vocalis servaretur. Alia, velut Sak. 87, 3. धारइस्सं; Urv. 33, 5. पाडस in commentariis falso explicata sunt. cf. §. 57. not. 2.

2) transiit in उ brevem

pro minus distincta pronunciatione; raro ita, ut nulla causa adsit, nisi quod syllaba, quae sequitur, eandem habeat vocalem. Sic Mri. 69. l. 3. दसुअुवस्सं pro दश-सुवर्णम् cf. lin. 10. 71, 1. — Tum ante labialem म in पढुम pro प्रथम Urv. 22, 5 ib. 7. 89, 10. Mâl. M. 91. l. 2. cf. aftuma, maxumus; §. 149, I; et ante व in तुव pro तव Prab. 37. 39, 5. — In forma ऊविस्सदि obduravit, ut videtur, u radicalis pro a in भविष्यति Urv. 36, 6. Mri. 80, 3. Multo usitatius est पढम U. 20, 18. S. 39, 3. etc. तव cf. pron. et भविस्सदि sexies in Urv. cf. Skt. 40, 4. Neve huc referas locum Sak. 32, 1: पुत्तो. Chezii commentario deceptus, ubi pro sk. पत्रस् legendum erat पुत्रस् cf. Sak. 1, 1.

Nota. Potest dubitari de forma पुणु, quam bis in Urv. 75, 23. 76, 2. inveni pro पुनर्, utrum ex पुणो cf. U. 9, 14. 88, 5. Sak. 20, 4. an ex पुण s. उण U. 14, 10. 20, 1. Sk. 18, 1. ducenda sit. Item nominativi et vocat. formae saepenumero habent vocalem उ, imprimis post literas र, ल, ण etc. Qua de re infra pluribus videbimus. §. 111, 5.

3) transiit in इ brevem

nonnisi rarissime. Unum illud exemplum, quod in Sak. 67, 3. legitur: उरि- compos. pro पुर- Chez., potuerat ad Sanskr. पुरि referri, quod similem notionem habet. Praeterea in Mri. 255. l. 9.

दिशाणं invenitur pro दशानाम्. cf. दशन् et decem, δέκα. Simili modo voc. a (s. â corrept.) nonnunquam in ipsâ sanskr. in i diminuitur, velut in syllaba reduplicativa. Bopp Gr. m. §. 295. Huc pertinet prâkr. part. दिण्ण pro दत्त. cf. lib. II. §. 194.

III. Interdum eiicitur voc. अ

1) saepius in initio verborum; ex substantivorum numero, quantum sciam, solum रण्ण pro अरण्य silva, huc trahi potest. cf. Leyden in As. Res. tom. X. pg. 284. ubi haec vox tanquam prâkrita affertur; et Urv. 76, 1. 77, 4. legitur: रण्णे. At Mri. 14. l. 4. Urv. 61, 16. अ retinetur. — Tum in advb. अपि. cf. Bopp §. 111. quod tum पि fit, tum वि saepius s. वि, et a suum initial. semper amisit, seu vocalis antecedit: cf. U. 4, 14; 42, 17. seu Anusvara: ib. 14, 8. — Retinebatur autem अवि in orationis initio, ubi levius वि, quae tanquam enclitica vox aliis praecedentibus adiungitur, non ferri posse videbatur. cf. U. 4, 18. 12, 11. 40, 10. Mri. 96, 2. — Simili modo praep. अनु interdum voc. a amisit. cf. Sak. 29, 3. ubi -णु cum antecedenti verbo coniungitur. — Prae ceteris huc pertinet verbum subst. अस्, cuius singularis in prâkritâ, sicuti in aliis linguis, voc. a plerumque caret. Sic ह्मि s. म्हि pro अस्मि U. 6, 19. 14, 14; सि pro असि 25, 4. 36, 7. त्थि pro अस्ति 32, 1. 40, 10.

Nota. Satis saepe invenitur अत्थि cum voc. a; necessario in orationis initio: cf. Utt. R. C'. 85, 1; tum semper, ubi significat: invenitur, datur: Urv. 56, 5. denique, ut videtur, si longa vocalis antecedit; velut î: Urv. 3, 3. ô: Skt. 125, 1. Praeterea cf. Rtn. 14, 2. 89, 3. Mri. 321, 1. Uttar. 45, 1.

2) nonnunquam in medio verborum; saepissime ubi semivocales य et व, et diphthongi dissolvuntur, alterumque elementum retinent, alterum autem omittunt. cf. §§. 54, 3. 57, 2. Tum in singulis verbis: sic semel in praep. उप cf. Urv. 15, 3, cuius lit. प्, vocali sua destituta, cum sequenti conson. coniungitur उब्बादिदो pro उपपा-; et in advb. खलु, cuius लु quoque eiicitur: ita-

que oritur हु: U. 9,14. 77,5: (k)h(al)u = hu; nisi mavis statuere, priorem potioremque formam esse क्खु: U. 6,17. 7,3. Skt. 87,1, in qua simul ल् insit. cf. de assimil. IV. C. §. 90.

Loci, ubi voc. a inter duas conson., quae in Skr. nullam habent vocalem, interponitur, recensentur cp. IV. §. 76.

§. 19. Voc. आ longa

multo constantior est et vix alias subit mutationes, nisi quod hic illic corripitur. Itaque

I. eodem in loco ponitur, quem in sanskr. tenet: in initio verborum, velut आसि pro आसीत् Sk. 39,3. 115,1. etc. in medio दाव pro तावत् U. 11,8. Sk. 17,1. जाव pro यावत् U. 13,14. Sk. 28. l. 4; in terminationibus Abl. sgl. -आदो pro आत्; N. pl. -आइं pro आनि etc. Denique in fine verborum: Nom. fem. sgl. tum in multis adverbiis: जधा p. यथा U. 13,7. S. 12,5. तधा p. तथा. — तदो Urv. 30,12. Sak. 19,1 et 2. 23,5. et यदो S. 23,5. falso per तदा et यदा explicantur; lege in comm. ततस् et यतस् (S. 27. 1) — U. 11,12. अधवा 7,18; etiam ubi lit. finalis omissa est, licet vocales longae tum saepe corripiantur. cf. §. 25.

II. Corripitur voc. आ

1) *in syllabis apertis, quae neque in prâkrita clauduntur.* Cuius rei, quum nulla iusta causa adsit, nonnisi rara exempla inveniuntur. Velut praepos. आ in initio verborum: cf. Sak. 27. lin. 3. et 32,1, ubi Imperativum आहिण्ड falso अट interpretantur. Non dubium est, quin a radice हिण्ड् Wils. II. p. 975. *a*, cum praep. आ composita, ducendus sit, cf. Mri. 79,5.

2) *in syllabis apertis, quae in pr. clauduntur;*

a) ita, ut, quum vocalis finalis omissa sit, litera consonans syllabae sequentis, ad antecedentem trahatur. Sic semper in I. ps. Fut. terminat. स्यामि fit स्सं: Sak. 101,2. वदिस्सं pro वदिष्यामि etc. cf. §. 191.

b) ita, ut litera sequentis syllabae initialis, praecipue, ubi

erat lit. aspirata, vel composita consonans, in duas consonantes transeat. Quarum prior tum ad syllabam antecedentem recedit, eamque positione longam reddit. Sic हद्धो pro हाधिक्र U. 24, 8. Sk. 16, 1. — रक्खस pro राक्षस S. 39, 3. et similia. cf. Sak. 31, 1. et ib. 115, 5: खड्डिके pro खाद्रिके: ita enim legendum esse in commentario, non autem cum Chez. खाद्ने, infra §. 48, 2. demonstrabimus. —

In aliis locis, velut विसमोम्रदु Sak. 30. lin. 3. pro विश्राम्यतु, exspectamus म्रा: at, nisi propter î longam syll. seq. nostra syllaba, tono privata, corripitur, ipsa fortasse non pro aperta habebatur: itaque visam-îa-du legendum esset. cf. 18, 1. not. Vocalium brevium interpositio, sicut semivocalium dissolutio ipsam naturam verborum non nimis videtur immutasse. —

3) *in syllabis compositis,* quae in consonant. exeunt — voc. म्रा saepe in brevem ǎ transiit; — itaque

a) in medio verborum compositorum, ubi in sanskr. duae vocales a in unam longam â contractae erant. Sic in Sak. 87, 3. देसन्तरे pro देशान्तरे cf. 17, 3. Mri. 219, 2: मज्झह्ने pro मध्याह्ने et saepius.

b) in iis verbis, quae in sanskr. post â duas similes consonantes habent: sic Urv. 13, 2. परमण्णेण pro परमान्नेन, et ib. 36, 11. म्रवरद्धा pro म्रपराद्धा etc. Similiter

c) in syllabis prâkritis, quae in conson. eandem exeunt, quam qua sequens syllaba incipit — ante assimilationem, ubi in sanskr. duae diversae consonantes legebantur: saepissime म्रज्ज pro म्रार्य Sk. 1, 1. कज्ज pro कार्य U. 20, 2. 24, 9. 28, 17. म्रच्चरीम्रं pro म्राश्चर्यम् U. 7, 19. म्रत्तणो pro म्रात्मनो Sak. 10, 2. etc. etc.

Nota. Si una harum cons. omittitur (cf. cap. IV. §. 83), longa vocalis servetur, necesse est; sin duplex conson. sequitur, equidem breves praetulerim. Itaque aut म्रण्णेदु = aṇ-ṇa-, aut म्राण-

â ṇa- scripserim; non vero आण्णबेडु â ṇ-ṇa- id quod Sak. 1, 1. perperam legitur et alibi.

d) in fine verborum, inprimis ante म् finale, seu potius ante Anusvaram prkr. Sic in accus. fem. I: अं pro आम्: Sk. 14, 2. 28, 2. tum in genit. plur., qui nunquam omnino in आं desinit, आणं pro आनाम्; in hoc extremo loco haud dubie, quia आ syllabae prioris maxime urgetur. Nam in prâkrita tonus non solet in ultima syllaba quiescere. — Aliter sentit Bopp. de zend. Vgl. Gr. I. r. 64. qualem vim ipsi literae म् s. anusv. Prâkr. tribuere equidem non audeo. — cf. lib. II. de declinatione §§. 114, *b*, 2. 124.

§. 20. Haec igitur in universum ita possunt statui. In syllabis positione longis, vocales longae, quibus non opus est, solent corripi imprimis ubi dissimiles consonantes in similes transeunt: videtur enim difficilius esse, ante assimilationem longas voc. servare et producere. Huc pertinent cetera exempla — cf. II. 2. 6. — ubi ञ, त्त, ध etc. sequuntur, quae tales, quales in Prâkr. mutatae sunt, simili modo positionem effecerunt: saepius enim in prâkr. duplices fiunt. Attamen dubium est, annon in hisce locis vocales prius correptae effecerint, ut sequens consonans duplex sonaret; ita ut altera voc. ă (â = ăă) quodammodo consonantibus compensaretur. Sed utut res se habet — potest enim his in rebus non certo quidquam affirmari — efficitur ut ea ratio, quam Indorum Grammatici in syllabis definiendis adhibent, falsa sit. cf. Bopp Gr. min. §. 9. pg. 5-6.

Nota. Haec quidem hâctenus de voc. आ in prâkr. correpta. — Voc. ए, et आइ ante nasales, quae interdum locos tenere videntur vocalium अ vel आ, nunquam ex sola vocali आ ortas esse iudico. Quare de illis alio loco videbimus. cf. §. 122, *b*. cet.

III. Dissolvitur voc. आ

primum more usitato in nom. pl. f.: आस् fit आओ i.e. आ-अस्, nonnunquam आआ. cf. पमदाओ etc. Decl. fem. I. Tum hic illic

in verbis: sic Sak. 29, 1. उग्राबोअसि pro उाप्यसे. adde Urv. 22, 8. पडिहाअदि pro प्रतिभाति alia. At Mri. 96, 2: णिद्दाअदि non ad निद्राति, sed ad formam निद्रायति a rad. द्रै pertinet.

Restant loci satis multi, qui quum in sanskr. commentariis aliam vocalem habeant, quam in prâkr., huc referendi videantur. Quos tamen nullo modo comparare licet. Sic, ut e multis unum afferam, Urv. 58. lin. 4. legitur णिसिअरो, quod in comm. skr. vertunt निशाचरस्. At hôc locô vocales i et â nihil habent commune; nam illa licet apud Wilsonem frustra quaeratur, altera formatio est, ex णिश् et चर composita, — non ex निशा —, neque magis improbanda quam निशिपुष्प pro निशापुष्प, खेचर pro खचर alia. Simili modo et विहग dicitur et विहङ्ग cf. Urv. pg. 81. lin. 5 et 12. ib., quod notum est in vulgus.

De vocalibus इ et ई.

§. 21. Vocalis इ brevis

I. eundem fere locum obtinuit, quem in Sanskr. occupat. Quum enim voc. इ omnium sit levissima et tenuissima, mutatio autem nihil plerumque sit, nisi diminutio, factum est, ut इ raro mutetur. — Ubi vero

II. immutatur voc. इ,

distinguendum est inter eos locos, in quibus

1) in ई longam transiit

solâ quantitate mutata; quod

a) in syllabis apertis tono efficitur mutato: sic in Instr. pl इसीहिं pro ऋषिभिस् Skt. 67, 3. fere semper, cf. Decl.

b) in syllabis compositis, quae in prâkr. apertae fiunt, ut in mediis verbis ante consonantem eiectam: वीस — pro विश्व — Sak. 62, 3. U. 21, 7. Ratn. 74, 4. जीहां pro जिह्वाम् U. 13, 3. 16, 10. tum in fine, ubi finalis cons. evanuit: cf. हद्धी pro हाधिक S. 16, 1.

U. 24, 8. गदो pro गतिस् U. 3, 3. Sak. 28, 4. राएसो pro राजर्षिस् Sak. 48, 3. cf. nom. decl. in i.

Aliud exemplum est धीदा, quod §. 48. explicabimus, in Urv. bis pro डुहिता, recte arbitror. cf. 16, 5 et 7. licet in tribus aliis locis डुहिदरं etc. legatur. Vocalis इ ni fallor producta est propterea quod duhi in simplicem dhî abiit.

2) Num in ए transiit?

Sak. 114. not. 6. legitur एत्ति किं, quae verba Chézy in comm. इति किं reddidit; iure fortasse, nam in ipso hoc loco (Skt. 110-115 incl.) et consonantes et vocales mirum in modum immutatae sunt. Tum vero इति ad verba quae antecedunt, referendum esset. Sed nescio, an rectius एत्तिकं legi possit sicut Uttar. 44, 1. et एत्तिअं Sak. 68. lin. 1. cf. §. 22. extr.

Nota: Sak. 34. n. 5. उव्वेज्जिदस्स non ex उद्विग्नस्य — sic in comm. legitur, — sed ex उद्वेजित- Wils. II. p. 151. *a.*, ortum est. Urv. 38, 10. रेचीयमाणा est forma gunata. De पुहवीं pro पृथिवीम् Urv. 9, 15. etc. cf. Wils. I. p. 551. *b.*

III. Omittitur voc. इ.

Quum i non possit in leviorem aliquem sonum transire, reliquum est, ut prorsus eiiciatur. Quod tamen quin saepe factum sit, impedivit ipsius prâkritae natura, ex qua voc. i saepius inseritur. Cfr. §. 77.

a) in initio verb. primum in दाणि et दाणिं Sk. 25, 4. Urv. 14, 13. pro इदानीम्; tum in adverbio इति, quod, quantum sciam, nonnisi semel integrum servatur, cf. Ratn. 32. lin. 5., rarissime in ति — Prabô. 46, 16. 66, 4. —, praeterea semper in त्ति transiit, et tanquam enclitica cum verbo quod antecedit coniungitur, Urv. 5, 7. 8, 13. post vocales; ib. 7, 18. post Anusvar. अमिअं त्ति: et 86, 17. Anusv. omisso contrahuntur कित्ति. Itaque semper in Mâl. M. aliisque scribitur: भोडुत्ति 45, 1. 46, 1. 58, 4. — In Mri. antecedens

a saepe in ए transit, cum इत्ति, sic वेत्ति 3,1.5,1. etc. ita ut hoc loco quartam formam habeamus इत्ति, quae quum voc. इ servet simulque duplex त्त, demonstrare videtur, त्त् non ex इत् ortum esse, per assimilationem; त्त ni fallor in sola scriptura positum est. — Bopp Vgl. Gr. II. p. 414.

b) in medio, potissimum ubi semivocalis antecedens dissolvitur: sic दुदिअ U. 3,12. pro द्वि- cuius इ in hâc forma evanuit. cf. numeral. §. 149, II. Similiter in पडुव- pro पर्युप- Urv. 6,4. = pari-upa, ubi voc. i omissa (s. य्) litera र tanquam lingualis ड cum sequenti voc. u coniuncta est. cf. §. 54. — Denique

c) finalis इ hic illic absorbetur. Sic semper in I. sgl. fut. cf. Sak. 21,5. णिवेदयिस्सं pro -यिष्यामि; tum in nom. et accus. plur. gen. neutr. आइं pro आनि, cf. §. 122. *b*. quod dubium est. Sunt qui literas „ni" transpositas esse statuerunt. Quod improbandum videtur, cf. l. c.

Nota. Vocula इव, enclitica, in prâkr. semper विअ sonat, ita ut literae iv-(a): vi-(a) locum mutasse videantur. Potest enim haec forma विअ commodius faciliusque cum anteced. verbis coniungi. cf. Mri. 38,3. Urv. 6,5. 8,10. et ubivis.

§. 22. Voc. ई longa

I. Ubi in skr. declin. et coniug. invenitur, plerumque servatur in prâkr. Tum vero

II. mutatur voc. ई,

eâdem fere ratione, qua longa आ, itaque

1) corripitur ई

a) in syllabis apertis, sine causa ut videtur in णिद pro नीत Sk. 15,3. adde Urv. 45,1. इदिसो pro ईदृशो, ante conson. sq. syllabae eiectam: अलिअं pro अलीकम् Mri. 184,2. idem Mudr. 50,2. — पसिअ pro प्रसीद Urv. 71,18. metri gratia. — cf. tamen Lenz. App. cr. pg. 25, ubi P. पसीद habet, sicut Mudr. 39. l. 3.

b) in syllabis apertis, ubi in prâkr. sequentis syllabae initialis

cons. bis profertur. cf. §.19,20. — करणिज्जं pro करणीयं Sk.2,2. cf. Prabô. 4,8. at रमणीओ Mri. 13,2: ई servatur, ubi य् omittitur.

c) in syllabis compositis, primum ante assimilationem duarum conson. तिण्ण pro तीर्ण Sak. 32,1. cf. Ratn. 5,1. etc. tum in ultima syllaba verbi: nonnunquam in accus. fem. cf. decl.; in इदानीम् advb. quod Mâl. M. 33,2. दाणीं fit, at alibi et saepius दाणिं ib. M.M. 10. l. 15. 131,2. Urv. 14,13. Mri. 9,3. 10,1. etc.; et दाणि, anusv. neglecto, Sak. 25,4. — Eodem modo immutatur perfectum आसीत्, quod semel, Ratn. 57. l. 15. servatur — cf. §. 185. —, in dram. Mudr. bis in आसी, praeterea semper in आसि abiit: U. 9,14. etc. l. l. Tonus nimirum in longam penultimam recessit. §. 25. —

2) transiit in ए,

quod satis apertum est Sak. 46,3. एरिसो pro ईदृशो, quamquam haec vox alibi î suum plerumque retinuit. cf. ib. 124,4. cet. Neque aliter in केरिस pro कीदृश Mri. 269,5. et Prabô. 10, l. ult. 39,13, — qua cum crassa ni fallor pronunciatione et rusticâ conferri potest vernacula lingua germanica, qualis apud homines inferioris ordinis in usu est (Plattdeutsch). cf. lêwen et leiwen pro: lieben, sêwen pro sieben, sê et sei pro sie etc.

De vocalibus उ et ऊ.

§. 23. Voc. उ brevis

I. satis constanter in prâkr. locum suum servavit sic उदितो pro eodem Urv. 38,17. बुभुक्खिदस्स ibid. 33,16; अणु 33,12. etc. in terminatt. Imperat. III sg., Infinit. etc.

II. rarissime voc. उ mutatur;

1) producitur voc. उ,

nonnisi ita, si recte memini, ut syllaba composita, litera conson. fin. omissa, aperta fiat; sic in nom. masc. — उस् fit ऊ: U. 13,10. बन्धू pro बन्धुस् cf. 59,10. 90,2. §. 126. tum समूसुअए Urv. 72, 1. pro -उत्सुकके, idem Ratnav. 5,1. Syllaba positione longa —

longam assumit vocalem, ubi positio non amplius admitti potest. cf. voc. a et i.

2) transiit in voc. इ,

leviorem s. diminuitur, in voce पुरिस s. पुलिस pro पुरुष cf. Urv. 35, 11 et 14. Prabô. 28, 14. Mri. 16, 1. quae tamen alibi, licet rarius, voc. उ propriam retinuit. Velut Mri. 49. lin. 2. adde Mudr. 106, 1. etc. — Cf. §. 77, 5.

3) transiit in ओ,

in verbis quibusdam, quae nisi pro minus distincta pronunciatione diphthongum acceperunt, ad formas sanskr. guna vel vriddhi instructas referenda sunt. Sunt fere haec: इओक्को Urv. 18, 19. pro -हेतु-को· पोक्खर- Sak. पुष्कर 79, 2. cf. Wils. II. p. 556. idem Mri. 3, 1; मोत्ता- pro मुक्ता- U. 40, 8. et ib. 66, 1: गोइस्सइ pro गुप्यते? Fut.? Cf. §. 191. Adde Sak. 135, 5.

Nota. Sak. 125, 2. recte पडिबोधो legitur pro प्रतिबोधो· Chez. habet in commentario प्रतिबुद्ध; — Urv. 89, 5. अश्र n. Wils. II. 89. (prkr. अस्स-) pro अश्रु in comm. legendum est

III. Omittitur voc. उ

imprimis ubi semivoc. व, aliis conson. addita, absorbetur: sic स्व- fit स etc. cf. sem. व §. 83, 3. et cet.; tum उ ipsum in medio verborum, quae contrahuntur. Sic in voce धीदा pro दुहिता, cuius ì longam §. 21, 1. *b.* memoravimus, voc. उ e prima syllaba eiecta est. De lit. ध §. 48, 1. Praeterea in advb. णं pro ननु u finale evanuit: Sak. 17, 5. Urv. 5, 1. 8, 8. cf. §. 66, 1.

§. 24. Voc. ऊ longa,

I. ceteris constantior, plerumque servatur; sic ut hoc unum exemplum afferam, in nom. fem. वहू pro वधूस्, ubi स् fin. eiicitur. cf. Sak. 12, 1. 63, 4. cet.

II. Mutatur voc. ऊ, itaque

1) corripitur et in उ

transit, vix unquam in syllabis apertis, nisi locum Sak. 67, 1. huc

trahere vis, qui in libro Sâhityadarpana (de quo vide Praefat. nostr.) pag. 153. l. 8, ubi citatur, legitur अनुरुअ, in Chezii autem editione अणुरूव, recte, arbitror, pro अनुरूप skr. — Saepius in syllabis positione longis voc. ऊ corripitur, ubi adiecta litera finalis cum initiali syllabae sequentis in unum eundemque sonum duplicem transit per assimilationem. Sic Sak. 3, 2. अउव्वं pro अपूर्वम्. Prabô. मुहुत्त pro मुहूर्त pg. 47. Mri. 127, 1. et similia.

2) dissolvitur voc. ऊ

cf. §. 20. at nonnisi rarissime, velut Ratn. 24, 4. सुउणा legitur pro शून्य, quod alias सूणा fit, multo saepius सुण्ण cf. U. 13, 9. cap. IV. de assimil. §. 108.

Nota. Alias mutationes non invenio: Bopp Vgl. I. §. 7. init. Sak. 125, 2. pro सम्मूढस् Chez. — in comm. sanskr. सम्मोहस् = prâkr. सम्मोहो legendum est. Wils. pg. 565 et 906. ed. II. — In Urv. 45, 16. lege हर्म्य pro mendo धूम्य = prkr. हम्म. — Restat forma quaedam mira maximeque dubia णेउर, imprimis saepe in Ratnâv. cf. 12, 1. 15, 1, seu णेउल Mri. 190, 3; quae in comm. per नूपुर explicatur, qualem significationem sane habere videtur, cf. Urv. 48, 8. ct. Sed quomodo voc. ऊ longa in ए transire potuisset, hoc me non intelligere ingenue profiteor, neque invenio, quod comparaverim. Longe aliud est, ubi Ahd. u in brevibus syllabis in e brevem Mhd. diminuitur. Itaque, praesertim quum in hâc prâkr. voce di. ए non brevem esse arbitrer, nostro loco णे- ex नू ortum esse negaverim.

§. 25. De longarum breviumque vocalium permutatione.

Liceat hôc loco miram illam rationem considerare, quam omnium trium vocalium a i u communem esse, prae ceteris autem in vocali इ inveniri indicavimus, eam dico, ut ubi in fine verborum consonans finalis omissa est, vocalis, quae antecedit, si brevis erat, interdum producatur, sin vero longa, corripiatur. Id quod mirum in modum accidit. Quum enim brevis voc. produceretur, exspectan-

dum erat, longam vocalem naturam suam retinuisse, non vero ipsam rursus in brevem transiisse. Quae quidem res quum ita sibi sit contraria, eadem contrariam causam videtur habere. Sed quaeritur consonantis finalis omissionem utrum in utroque loco prius fuisse statuamus, atque causam, an in unô solum in altero vero non item? Unde duplex oritur ratio explicandi haec:

I. Si litera finalis in utroque loco prius evanuisset —, ipsa videretur in brevem anteced. voc. transiisse quodammodo, longae autem partem aliquam s. moram eripuisse, itaque effecisse ut brevis produceretur, longa vero corriperetur. Quod tamen linguae indole prorsus indignum esset; maximeque miraremur, quum eadem causa subesset, cur id quod inde efficitur, contrarium inveniretur. Quare

II. causa ipsa contraria, ni fallor, et in toni natura quaerenda est, litera finalis autem non in utroque loco antea omissa erat, sed in uno tantum, ubi brevis hanc ob rem producitur; ubi autem longa corripitur, alia causa subest, quae simul effecit, ut et vocalis correpta, et litera consonans omissa sit.

1) Tonus nimirum in syllabam longam paenultimam solam recessit. Itaque fiebat ut longa quae sequebatur, non satis distincte pronunciaretur, sed paullo accelerata unam moram amitteret s. vocalem corriperet. Tum demum conson. finalem, quippe quae non iam longa vocali niteretur, omissam esse credendum est.

2) Altero autem loco nihil refert, utrum syllaba antecedat, nec ne, et qualis sit: Ipsa enim syllaba, cuius brevis vocalis producitur, saepenumero in initio reperitur. Tum vero litera finalis consonans prius omissa est. Quare tonus seu vox, quippe quae non iam ad consonantem properare posset, in ipsa vocali consisteret, eamque quodammodo produceret necesse erat. —

Huc ii quoque loci referendi sunt, in quibus lit. cons. proprie ad sequentem syllabam pertinebat. Si cui voci, quae in initio duas

habet consonantes, alia syllaba in vocal. exiens praefigitur, in fine ipsius consonantem priorem prolatam esse arbitror: quare postea assimilatio oritur.

Hôc igitur modo et hâc ex causa illos locos explicandos statuo. Modo ne quis adeat et causam pro lege sumat. Non enim aliquid fieri necesse esse; sed si quid fit, cur factum sit et quì fieri potuerit, docere conatus sum.

Nota. Addam hôc loco, quae habent Lassen et Burnouf essai pg. 161. „Les grammairiens eux-mêmes considèrent, dans beaucoup de cas, l'usage des voyelles brèves ou longues comme entièrement indifférent. Ainsi la première règle de Vararoutchi est que l' a d'un grand nombre de mots sanskrits peut, suivant les circonstances (?) être long ou bref en prâkrit."

§. 26. De vocali ऋ.

„Les voyelles ṛi et lṛi ont disparu en prâkrit comme en pali", ita Lassen et B. in essai pg. 159, sequuti Vararutchim grammaticum. Quod quomodo se habeat de voc. lṛi, cf. §. 27; de vocali ṛi autem falsum videtur: nam

I. retinetur voc. ऋ,

si quidem editoribus fidem habere licet, quinquies sexiesve in dramatis Indorum: ut in Sak. pg. 32. lin. 11: णिमऋक्कस्स pro णीर्णऋ-त्तस्य; tum Mri. 41, 3. ऋद्धीए cf. 151, l. 13. ibid.; Mudr. 130, 1. et Ratn. 66, 1. ईदसो. Sed haec exempla si exceperis, nunquam reperitur in prâkr. nostra; hic illic in Sâhity. Darp. cf. pg. 153, 8. cum Chez. ed. Sak. 67, 1. sqq. E contrario

II. immutatur plerumque voc. ऋ

variis modis, ita ut in omnes fere vocales transiisse videatur. Qua in re accurate distinguendum erit.

A. ubi voc. ऋ, nulli consonanti adiecta, ipsa in initio verborum ponitur; tum

1) transit in consonantem र् et voc. इ retinetur: ऋ fit

रि: ut Sak. 93, 1. रिसभस्स pro ऋषभस्य. cf. Ratn. 34, 2. itaque skr. ऋ simillimum est; vel secundum §. 55, 2. cons. r interdum ल fit: cf. Prabô. 46, 15-16: लिसि etc.

2) r-sono omisso, in alias vocales abiit:

a) rarissime in अ: अच्छ- pro ऋक्ष. Sak. 94, 2.

b) saepius in इ: sic इषि Sak. 37, 3. pro ऋषि, seu इसि Sak. 75, 3. cf. ib. 58, 3. 67, 3. etc. tum vero

c) in voc. उ: उडुं pro ऋतुम् Sak. 2, 3. ib. 128, 1. उडुअस्स pro ऋडुकस्य cf. Ratn. 35, 1. 56, 1. Mudr. 10, lin. 11.

B. Ubi voc. ऋ consonanti alicui addita erat, haec sunt imprimis notanda:

1) consonantes servantur, et, r-sono omisso, coniunguntur cum vocalibus i, u, a, ê, quae saepe in uno eodemque verbo permutantur. Itaque

a) cum voc. इ, in verbis किद pro कृत: Mri. 11, l. 3. Sak. 12, 1. cf. 17, 4. 22, 1. 28, l. 4. 62, 2. tum हिअअ pro हृदये S. 30, 1. U. 7, 19. — तादिस pro तादृश S. 30, lin. 1., quam formam दिस Bopp Vgl. Gr. I. p. 17. memorat: invenitur etiam तारिस cf. h. §. no. 2, *a*.; idem Prabô. 16, l. 10.; semel in गिह pro गृह Mri. 11, l. 3; et post ipsam lit. व: वित्तिणा Sk. 30, l. 1. cf. 27, 1. 32, 1. U. 7, 18. 15, 6. — Ubi syllaba antecedit alia, conson. litera interdum duplex apparet, cf. U. 3, 12. णिग्गिहिदा pro निगृ-, ita ut r-sonum sibi videatur assimilasse.

Ex hâc brevi voc. इ fit interdum voc. ई longa: ut दीसदि pro दृश्यते Urv. 29, 16. et saepe, secundum §. 21. 1, *b*.

b) cum voc. उ, ut दुढं pro दृढम् U. 20, 12. सुणादु et cet. formae huius radicis, pro शृणोतु Sak. 23, 1. U. 3, 9. — cf. rad. श्रु, cuius u in i diminuitur! Praeterea solummodo post Labiales et semivocalem व: sic post प: पुच्छसि U. 35, 11. S. 29, 2. et पुहवीं S. 57, 1. U. 9, 15. pro पृथिवी vel पृथ्वी cf. cap. IV. §. 76.; post भ, quod transit in ह: पहुदि pro प्रभृति U. 27, 10. Sk. 13, 4; post म:

मृणाल pro मृणाल Mri. 134, 2. Sak. 61, 1; denique post व: वृत्त pro वृत्त Sk. 12, 2. 17, 3. U. 54, 5. aliique et multi loci. Longam voc. ऊ non inveni.

Restant loci, in quibus a et ê inveniuntur; lit. cons. iungitur

c) cum voc. अ saepenumero — pro अर्: nam radices in ऋ exeuntes — in prâkrita solent अर् formare. cf. d. verbor. coniugat. §. 190. *c*, quae syllaba अर् etiam retinetur, si voc. इ accedit: Sak. 83, l. 2. सर्-इअ (सरिअ) cf. ib. 101, 2. Prabô. 55, ह:ला, हलिअ. Iam vero solam अ brevem invenimus exc. gr. in कअ्रा etc. pro कृतस् U. 14, 13. Sk. 19, 2-3. 30, 1. 61, 1. Prabô. 50, 9. cf. ibid. 61, 7. radix नृत्य् fit णच्च्, tum दढं pro दृढं U. 15, 2. Sak. 10, 1. मअ्रा pro मृगा S. 27, 1. Tum गह semel Mri. 183, 1, cf. voc. i et ê. — Hìc quoque interdum r-sonus tanquam consonans per assimilationem antecedenti lit. cons. adiungitur: sic Urv. 17, 14. परिग्गाहिदं cf. rad. ग्रह्. —

Nota. Vocalis आ, quae rarissime reperitur, vario modo potest accipi. cf. Sak. 152, 3. माट्ठिठ-; Urv. 45, 5. etc.

d) cum diphth. ए nonnisi in singulis quibusdam verbis; quae inveni, sunt fere haec: Primum skr. वृन्त fit Urv. 80, 9: वेन्त: Sak. 116, 2. वेण्ठ; Mri. 78, 1. 117, 1. rectius scribitur वेण्ट; — tum Sak. 114, 1. केलके et ib. 152, 3. केरके, quod ad idem verbum sanskr. कृतक referendum est, licet in commentario prioris loci कृत्रिम legatur, ex quo nullo modo oriri potuit — cf. Mri. 124, 2. 127, 3. ib. 126, 3. 132, 5. etc. pro कृत, adiecto क. — Denique imprimis in formis nonnullis verbi ग्रह् (गृह्) sic: गेह्णिअ pro गृहीत्वा U. 8, 10. 54, 9. 77, 9. Sak. 113, 3. 115, 1; — गेह्णदु Sak. 53, 3. — cf. a et c; locis, in quibus अ est, adde U. 19, 11. Sak. 124, 1. — Similiter explicandam iudico tertiam formam, qua hucusque substantivum गृह mutatum vidimus — गिह, गह, गेह. Quartam — घर, et quintam — घल infra §. 38, 1. explicabimus; sed neque has, neque illam गेह intelligere possumus, nisi aliam formam गर्-ह s. गर्ह subesse

ponamus. गेह imprimis saepe in Mrichchhakati occurrit, ubi modo per sanskr. गेह, modo per गृह solet reddi, cf. ib. Mri. 3, l. 2, 4, 11. 5, l. 2, 7. 9, l. 6. 49, 3; et 76, 1. etc. ubi confunduntur. — Invenitur enim in sanskritis scriptis et apud Wilsonem ed. I. p. 274, *b*.: गेह n. tanquam sanskrita vox, nimirum „E. ग a name of Ganês'a, ईह्, to desire" etc., — at, ni fallor, prâkrita est, et quo in prâkr., eodemmodo in sanskritâ mutata est. Id quod hôc primo loco observemus licet, postea data occasione saepius indicabimus. Itaque prâkritae operâ nonnunquam perspicitur, quae sit propria verborum natura atque origo.

Iam vero ut revertar ad diphth. ए, quaeritur, quomodo sit explicanda his in locis? Et primo certe obtutu in eam opinionem inducebar, ut ए h. loco brevem vocalem esse statuerem. Quod tamen brevi falsum cognovi, ipsa voc. अ edoctus, quae in aliis formis invenitur, similemque haud dubie habet originem quam ए: nam plenior et propria forma erat अर्, ex qua voc. अ brevis orta est, si र् omissa erat, sin in vocalem इ transierat, sueto more, ए diphthongus. Testis est घर् etc. Id quod infra pluribus exemplis potest demonstrari. — Ne tamen silentio praetermittam, exspectatur potius आ longa, ubi र् omissum erat.

2) Consonantes, quibus adiecta erat voc. ऋ, interdum omittuntur; quod tamen hôc in loco non ita saepe fieri solet. Plerumque

a) r-sono, tanquam conson., servato, invenitur syllaba रि: sic Sak. 23, 1. अरिणा pro अन्नणा cf. id. Mri. 126, n. 4. — Sak. 12, 5. सरिस et idem Prabô. 39, 5.

b) transit in उ voc., eodem r-sono servato: रु: fere semper रुक्ख- pro वृक्ष Sak. 22, 4. 9, 2. 11, 4. Mri. 84. l. 13. ita ut natura omissae consonantis व vim aliquam exercuisse videatur. Denique

c) r-sonus evanuit, et sola vocalis relicta est, ut Sak. 32, 1.

पइदि- pro प्रकृति, cf. Urv. 80, 4. et eadem haec vox in Mudrâr. et paa — 24, 2, et pai — ib. 12, 2, denique pâu — 39, 1. p. प्राकृ- habet.

§. 27. Itaque omnia mutationis genera in hunc ordinem redigere conati sumus. Ex quo potest intelligi, vocalem ऋ tamquam रि pronunciatam esse, quare si in prâkr. रि transiit, in hôc propria forma cognoscitur. Tum vero ऋ minus distinctum R-sonum videtur reddidisse, cum brevis alicuius vocalis sono praefixo: unde formae oriuntur: a-ṛ, i-ṛ, u-ṛ vel a, ê, i, u; — quae non raro in uno eodemque verbo reperiuntur. Sic कृत-, cuius vocis sola कअं forma apud Lassen. etc. l. l. legitur, in nostra prâkrita fit: कदं et कअं, किदं et किअं, के-, उ- in कृतक et प्रकृति etc.

Nota I. Longa vocalis ॠ, quae in sanskrita ipsa rarissime invenitur — cf. Bopp Vgl. I. pg. 1. — in prâkr. evanuit.

Nota II. Vocalis ऌ „lṛi — pergit Lassen l. l. — devient ili, kilitta pour klṛipta formé". Quod sane fieri potuit. Sed in uno illo loco dramatum, in quo hoc verbum legere memini, pro क्लृप्तस् non किलित्तो in prâkr. invenitur, sed कप्पिदे Sak. p. 111. not. 8. quod sine dubio ad formam gunatam कल्पितस् pertinet. Nam कल्प् forma est longe usitatior, cf. Bopp Gr. min. §. 13. —

Caput II.

De diphthongis.

Diphthongi eaedem quae in sanskr. etiam in prâkr. reperiuntur, ita ut nulla prorsus evanuerit. Ubi mutatae sunt, ipsius mutationis ratio persaepe edocet, eam originem veram rectamque esse, qualem sanskr. grammatica statuit. Et secundum hanc originem proferebantur, arbitror, quare in una quaque utramque partem, quibus constant, auditam esse verisimile est.

De diphthongis ए et ऐ.

§. 28. Diphth. ए

I. servatur, nullo modo mutata, in initio verborum cf. pron. एसो pro एषस् Urv. 5, 6. Sak. 40, 2. एअं pro eod. U. 24, 8. vel एअं ib. 25, 6. tum in formis एदु pro एतु U. 38, 7. Sk. 31, 4. in terminationibus Loc. sgl. उग्गे pro उग्रे Sk. 20, 1. et plur: वअणेसुं S. 8, 2. Instr. एदेण etc. U. 31, 1. —

Nota. Adverbio एव, quod hic illic एअ factum est, cf. U. 25, 5. 6, multo saepius, ne dicam semper, lit. ज् praefixam invenimus quae propter encliticam huius verbi naturam duplex: ज्ज scribi potest. Itaque formae जेव s. जेव्व, et ज्जेव ubivis occurrunt, cf. Urv. 3, 12. 5, 3. 7, 19. Mâl. M. 21. extr. Mri. 7, 5. etc. — Iam vero quaeritur, quae sit origo adverbii एव? Si quidem antiquior forma येव statui posset, nostrum जेव propius ad veram originem accederet, य servato, et sueto more sec. §. 54, 1. in ज mutato. Simile quid §. 62, II. docebimus. Attamen skr. एव non tam ex relat. य, quam ex demonstr. themate ए ducendum esse, veri est simillimum; et ipsa altera forma जेव — vel येव, quae etiamsi non invenitur, poni tamen potest, — Prâkritae debetur, ita nimirum orta, ut semivocalis य, prâkrite = ज, diphthongo ए praefigeretur, s. in eius initio audiretur: jê = ê(ai). Quod quum per sese non inauditum est, tum iis potissimum illustratur, quae Boppius nuperrime de lingua vet. slavon. docuit Vgl. Gr. II. pg. 334, *e*. cfr. pjena et svjet pro skr. फेन, श्वेत etc.

II. Diphth. ए immutatur

duplici potissimum modo. Quum enim ex duabus vocalibus contracta sit, primum potest dissolvi; tum vero aut ambas vocales solutas retinere, aut alteram solam servare, alteram autem omittere. Itaque fit, ut

1) pro ए inveniantur अ et इ

in compositis interdum, quorum singulae partes in prâkr. non tam accurate coniunguntur, quam in skr., ut Sak. 77, 5. हिअअइच्छिदो

pro हृदयेच्छितो. Attamen exempla huius generis rara sunt, multoque frequentius in similibus locis diphthongi servantur.

Nota. Vocalium आअ quae hic illic pro ए reperiuntur, solum prius अ s. आ cum ए conferri potest, quod dissolutum est in अय्, quum vocalis quaedam coniungens in prkr. accederet; य् autem eiecitur, sicuti in skr. वन आसीत् pro वनय् etc. Bopp. min. 38. — cf. Skt. 135, l. 2. उअणइस्सं, Comm. habet नेष्यामि, pro नयिष्यामि; sed Urv. 11, 5. णेदुं. Eodem modo in verbo भी: Sak. 133, 3. भा-इस्सदि, comm.: भेष्यति, pro भे + इ = भय् + इ-, et ante voc. अ praes. भा-अदि Rtn. 31. extr., item ib. 31, 2. पतिआ-असि pro प्रति + ए-पि = अय्-अ-सि; et Sak. 88, 5. भाआहि, haud dubie Imperativi forma, quae in commentario non per भैषीस्, sed quum मा antecederet, per भैस् explicari debebat, Praet. augm. I. format. — Alia forma भोआमि, skr. बिभेमि Urv. 33, 2. = r. भी-आ-मि et guna caret et syllaba reduplicativa.

2) Sola voc. इ relicta est.

Pro skr. हेतुक (gunata forma rad. हि) saepissime इतुअ occurrit: cf. Skt. 20, 2. 32, 1. 48, 1. 51, 2. 77, 5. 84, 2; et इओको Urv. 18, 19. Praeterea in iis potissimum verbis, quae cum इन्द्र et ईश्वर composita sunt: ut गइन्द Urv. 57, 5. 63, 2. 67, 2. s. गइग ib. 64, 21. pro गजेन्द्र; similiter मइन्द pro मृगेन्द्र Sak. 152, 1. 153, 1. Priores formae videntur fuisse गजिन्द et मगिन्द, quarum consonn. ग् et ज् postea eiectae sunt.

Tum पव्वदीसर pro पर्वतेश्वर, ubi voc. longam retineri necesse erat: cf. Mudrâr. 17, 3. 103, 3. 118, 1. Sed ib. 13, 3. पव्वदेसर servatur. In formis Verborum saepenumero इ radicale reperitur pro skr. ए, guna affecto.

§. 29. Diphth. ऐ

I. prorsus fere interiit: attamen hic illic in prâkritis verbis reperitur, nescio, an pro mendo typogr.: sic Mri. 61, l. 2. शैल; ib. 240, 2. वैलए.

II. Plerumque immutatur

1) in diphth. ए *breviorem*,

a qua in ipsa sanskrita non multum differt. Sic केलास U. pg. 40, 14. 54, 9. केदवस्स Sk. 104, 1. etc.; saepius autem ita, ut conson. quae sequitur, duplex fiat: sic वणेक्क pro वनेक U. 22, 3. दलेक्क Sk. 53, 3. cf. ib. 36, lin. 1. 58, 1. 68, 3. — ni fallor, sine iusta causa, sicut ipsum एक saepius एक्क scribitur. Aliter sese habet Mudr. 123, 1. सेण्ण pro सैन्य, ण्ण per assim., quod Prabô. 4, 6. eodem iure सेण fieri potuit, य् omisso.

2) in brevem इ

perquam raro, velut Urv. 3, 14. इसाणीए pro ऐशान्या cf. ईशान; tum Mri. 9, 2. 44, 3. etc. vox मैत्रेय fit मित्तेओ cf. मित्र etc. Alias mutationes non invenio. Iam vero videndum erit:

De diphthongis ओ et औ.

§. 30. Diphth. ओ

I. constat in prâkr. saepissime inveniri, ubi non in sanskrita est; cf. Nom. sgl.; Abl. I Decl. etc. Hôc tamen loco solum quaerimus, quomodo sanskr. ओ in prâkr. mutatum sit, non vero, unde prâkr. ओ oriatur. Qua de re cf. §. 57. 117. cet. Non mutatum est exe. gr. in भो pro भो U. 85, 4. उअरोधो etc.; in verbis autem ante terminationes verb. rarissime reperitur: sic करोमि cf. Urv. 88, 15-16. ib. 87, 12. §. 175.

II. Quemadmodum mutetur,

ex iis fere potest intelligi, quae de diphth. ए §. 28. disputata sunt. Eodem modo ओ, quum ex voc. अ + उ compositum sit, potest rursus

1) in ambas अ + उ dissolvi

quod tamen perquam raro fit. Sic Urv. 64, 19. metrorum causa skr. प्रसारितोरू, ubi ओ ex अ et ऊरू contractum est, dissolvitur: पस-

रिश्रउरु, nisi गुरु in comm. scribendum sit, cf. Lenz. App. crit. pg. 24. — Vide §. 34, II.

2) in unam tantum vocalem transiit;

a) nescio, num in अ brevem?

nam सरवर, quod Urv. 53, 3. ib. 7. interpretati sunt: सरोवर, potest etiam ex सर n. (pro सरस् s. सरो) ortum esse. Etiam â in formis velut सुणाउ, अच्छराहिं, ê in सुणेमि, अच्छेरहिं, i in पाविमि etc. nullo modo cum voc. ओ in hisce sanskr. formis comparari possunt.

b) saepius in उ brevem.

Ni fallor, in nomin. sgl. उ ad ओ pertinet (p. अस्) sic कोलु U. 70, 13. etc. pro कोलो cf. nom. sgl. §. 111. Tum in formis gunatis आरुह Mri. 129, 3. 130, 1, ubi, si fieri potest, sequens conson. duplex ponitur: रुच्चदि Urv. 40, 8. — pro आरोह, रोचते etc. E contrario ओ fit उ imprimis ante duarum consonantt. assimilationem: sic in composs. Urv. 53, 3: वरोत्सङ्ग fit वरुस्सङ्ग cf. ib. 57, 5. 67, 1. Sak. 62, 2. — Utt. 84, 1.: नोलुप्पल pro नीलोत्पल; Mri. 137, 3. लोऊप्पा-; Mal. 117. l. 2. etc.

§. 31. Diphth. औ

I. rarius etiam, quam ceterae, invenitur. Sic Urv. 3, 10. सिरिगौरिए pro श्रीगौर्या; Mri. 269, 5. केरिसौ. Utt. 42, 1. सौम्य pro सौम्य.

II. Mutatur ita, ut

1) sicut ऐ in ए, in ओ transeat,

ut कोऊहलं U. 17, 5. cf. 30, 13. 56, 6; गोदमो Sak. 25, 2. 64, 1. Mri. 245, 1. Urv. 85, 5. ओरसो pro औरसस् etc.; hic quoque ita, ut sequ. consonans duplex reperiatur. Urv. 73, 16. जोव्वण pro यौवन. Sak. 10, 2.

2) Iam eae formae, quae sequuntur, duplici modo possunt accipi; aut enim ex ipsa di. औ, aut denuo ex ओ ortae sunt:

a) ubi dissolvitur in अ et उ, ut Urv. 80, 10. मउलि pro मौ-लि, potest aut statui, औ in ओ transiisse, et ओ porro dissolutum esse in अ-उ. cf. §. 30, 1; aut ipsam औ diphth. in आ-उ transiisse, et आ correptum esse. Sed utrumque non multum differre videtur.

b) vocalis उ sola relicta videtur, alterâ, seu अ, seu आ, omissa. Urv. 22, 5. कुमुदिं pro कौमुदीम्, et in aliis verbis cf. Sak. 136, 4, quae rectius fortasse cum skr. primis formis कुमुद् etc. conferantur.

Haec fere habui de vocall. et diphth. in Prâkr. mutatis. Sunt autem praeterea quaedam addenda.

§. 32. De diphth. ए et ओ quantitate.

Quaeritur hôc loco, utrum di. ए et ओ longam naturam ubique retineant, an, sicut in aliis linguis, ita etiam in Prâkr. corripiantur, et tanquam *breves vocales* e et o usurpentur. In universum semper *longae* sunt. Quare non dubitavi, diphthongorum nomen et potestatem iis vindicare; et quantum adhuc videam, rarissimi loci excipiendi sunt, in quibus, quum *longa* aliqua voc. antecederet, tonus ita in syll. antecedentem videatur recessisse, ut seq. ए non amplius satis produceretur. Velut in Instr. et Genit. fem. sgl. terminationibus आए, ईए etc., quas plerumque âè, ìè proferendas esse censeo, hic illic autem in versibus correptas esse, a Lenz. ad Urv. pg. 200. not. I. exemplis probatum est. — Accedit, quod in his et similibus locis ए in Prâkrita demum natum est. — Brevis ओ nullum certum exemplum novi. —

In mediis verbis ए et ओ corripi *videntur*, ubi seqq. consonantes repetuntur: primum in एक्क, कोट्ठ; tum in वणोक्क, डो-ट्वण pro skr. ऐ, औ; et similia. Nam in huiusmodi locis prâkr. *vocales* satis constanter corripi solent. Quum vero has syllabas longas esse constat, aut pro naturâ diphth., aut positione, hâc de re vix certum iudicium ferri potest; quare equidem in hôc acquiescere malo, ut diphth. ए et ओ in med. verb. longas esse statuam. Ubi

corripiuntur, in *vocales breves* transierunt, velut saepe ante assimilationem, ubi et duplic. cons., et brevi voc. *opus* videtur esse.

De vocalium contractione et elisione.

Ex iis, quae §. 11. de hiatu disputata sunt, satis superque intelligi arbitror, prâkritam, quippe quae hiatum non ita anxie evitare studeat, in universum non eas euphonicas leges secutam esse, quae in sanskrita, ubi plures vocales conveniunt, ad ipsum hiatum evitandum tum elisionis, tum contractionis et solutionis usum praescribunt. Quoniam causa evanuit, simul id quod inde sequebatur, desiit. Iam vero necesse est, ut rem exemplis quibusdam illustremus.

§. 33. Ubi in sanskrita duae vocales convenerant. Hûc omnia pertinent, quae Bopp. Gr. m. §§. 35-55. comprehendit.

I. Ubi in medio verborum compositorum duae vocales in unam coaluerant, prâkrita originem ipsius non respiciens, talem qualis a sanskr. tradita erat, sumit et ut simplicem seu vocalem seu diphthongum suo rursus modo immutare solet, cf. §§. 17-31; nonnunquam autem dissolvit: Longae nimirum duas vocales continent, id quod in ipsa pronunciatione auribus percipi poterat.

II. In fine verborum, ubi in sanskr.

1) duae et dissimiles et similes voc. in unam longam coalescunt, ambae in prâkr. plerumque neque mutatae, neque contractae retinentur. Sic Urv. 23, 1: मग्गमाणा अत्ताणअं pro -माणा ”त्मानं. ib. lin. 9. -लिहिअ आलोअन्तो अ- pro -लिख्या ”लो- cf. 24, 17. 25, 3; tum cum sequentt. उ, इ, ए U. 29, lin. 7: -भावा उव्वसो pro -भावो ’वंशो, et ib. सा इदो गदुअ एदं pro से ’तो गत्वै ”तम् etc. Eodem modo

2) ubi in Skr. अ breve post ओ, ए eiicitur: sic पासादे अहि- U. 13, 5. pro -दे ऽभि- ib. 22, 3. 23, 9. etc.

Quum igitur his in locis hiatus nusquam evitetur, ea quidem signa prorsus supervacanea esse consequitur, quibus indicare solent,

vocalem aliquam aut omissam esse aut cum aliis coaluisse: ' " ऽ, cf. Bopp. §.5. et 36. not. Nihilominus hic illic contractio vel elisio: cf. Urv. 3, 11. केणा 'वि; 47, 6. वे 'त्ति (in calcuttensibus editt. plerumque वेत्ति: Mri. 5, 1. etc. cf. Sak. 70, 6. णेच्छदि etc.); U. 19, 13: इहा "सोणो; 35, 5. सा "राधिदा· Sak. 36, 2. भवदो ऽब्भ- ib. 3. -धेओ ऽस्सि etc. Nescio utrum his in locis vituperanda sit editorum negligentia secura, an potius statuendum, hiatum tum evitatum esse, tum admissum. Sed in iis certe locis, ubi sequuntur अस्सि etc. अपि, इति, illam scripturam nullo modo ferendam sentio; nam hae voculae अ et इ initialia in prkr. omiserunt, cf. §. 18, III. 21, III, raris exemplis exceptis, quae usus quotidianus videtur sanxisse, velut वेत्ति etc. Ita multo rectius scribitur quam वे 'त्ति· —

3) In Sanskr. vocales i et u breves longaeque ante aliam quamvis dissimilem vocalem in semivocales य् et व् transire, ओ et ए ante voc. (अ excepto) in अय् et अव् dissolvi solent. Id quod in prâkr. non fieri solet. cf. Urv. 45, 11. खु इमस्सिं pro खल्व् अ-; ib. l. 18. देई आण- pro देव्य् आ-, ib. 24, 8. पि एवं pro अप्य् एवम् cf. 26, 4. etc.

III. Ubi autem hiatus in sanskr. admittitur, nunquam profecto in Prâkr. evitatur. cf. Bopp §. 38, 40, 45, 46: et U. 38, 17: भो एसो pro भो ए-; tum diphth. ए, quae ante skr. voc., अ excepto, tanquam अ (ex अय् orta) admittitur, in prâkr. retinetur, et ante आ ceterasque voc. U. 9, 14. मे आसि pro म आसीत्; et ante ipsum अ breve: U. 13, 3. जणाइण्णे अत्तणो pro जनाकीर्ण आत्मनो etc. etc.

Itaque, ubicunque in sanskr. duae vocales potuerunt convenire, in prâkr. vix unquam hiatus evitari solet; neque refert quicquam, utrum skr. eum et quibus modis evitaverit, an admiserit. —

§. 34. Propterea quod verba variis modis in prâkr. mutata, consonantes imprimis saepissime eiectae sunt, fit ut in prâkr. multo saepius duae vocales conveniant, quam in sanskr. Tum quoque

prâkr. eundem hiatum admisisse statui potest, cuius rei non opus est exempla afferre. Attamen non raro fit

I. ut duae vocales in unam contrahantur,

1) plerumque ita, ut semivocales य् et व्, omissis vocalibus seqq., ipsae in vocales इ et उ transierint et cum अ s. आ antecedentt. in diphthongos ए et ओ coalescant: sic अय fit ए, et अव fit ओ; exempla vide §.54, 57. de semivoc. य et व.

2) Huc ii quoque loci pertinent, in quibus aliae praeterea conson. in vocalem aliquam transeunt. Sic interdum प् fit उ, et ऋ fit इ: §.50, 3. 56, 4.

3) Consonantes e medio verborum eiiciuntur et vocalis, quae antecedit, nonnunquam cum ea, quae sequitur, in unam longam s. vocalem s. diphthongum coalescit: अ + आ s. अ fit आ; अ + इ: ए; अ + उ: ओ more in skr. usitato. Sed exempla rara sunt in prâkr. Saepissime in voce मोरि vel मोरो pro मयूरो Sak. 55, 3. 83, lin. 1. Mri. 18, 1. et घरमोरो ibid. pg. 141, lin. 4. recte pro गहमयूरस्स् cf. Urv. 77, 1. Utrum vero अप्पेदुं pro अर्पयितुम्, similesque formae, quae post य् voc. इ habent, cf. Sk. 118, 4. eodem modo explicandae sint, an diphth. ए ex अय् orta sit, — utrum pro arpajtum, an pro arpa-j-itum — iure potest dubitari. Quod tamen satis apertum esse arbitror in particula ए, cf. Urv. 59, 1, quae licet in comm. per अये reddatur, haud dubie ex skr. अयि orta est: nam ipsum अयि Urv. 27, 12. 45, 12. in अइ transiit; et alibi; unde postea ए. Hoc quidem maxime dignum est quod animadvertatur; nam infra, ubi de declinatione imprimis pronominum agemus, saepe ad hunc locum refugiamus necesse erit. — Simile exemplum, ubi अ et आ contrahuntur, invenitur Sak. 86, l. 3: चक्कवाओ pro चक्रवाको, quod, omisso व्, potius चक्कअाओ fieri debebat.

II. Diphthongum ओ interdum in prâkr. inveniri, ubi in sanskr. non erat, supra indicavimus. Nonnisi rarissime autem, et

quantum sciam, in dramatis semel tantummodo factum est, ut ओ diphth., quae ex अ-स् orta erat, dissoluta sit in अव् (cf. Bopp. §. 76.). Sic Sak. pg. 86, lin. 3. metri gratia legitur मुहउव्वळ- pro मुखाद्दळ- et q. sq. Diu sane haesitavi, quomodo intelligenda sit haec forma. Attamen non dubium est; Ablativus sgl. मुखात् fieri poterat मुहादो, quam magis usitatam formam habes Sk. 14, l. 2. et Mri. 76, 2. Itaque आ correptum est, et terminatio दो, quum vocalis ऊ sequeretur, in उव् s. उव्व् transiit; nimirum ओ ex अ + स् ortum est, id quod in libro altero §. 117. docebimus.

§. 35. Omnes mutationes, quas vocales et diphthongi subierunt, liceat hôc loco in brevem conspectum redigere.

अ fit आ· इ· उ· — अ·	आ fit अ· आअ? — आ·
इ » ई· ए? — इ	ई » इ· ए· — ई·
उ » ऊ· इ· ओ· — उ·	ऊ » उ· उउ· ए? — ऊ·
ऋ » रि· रु· इ· उ· (अऱ्) अ· आ? ए· — ऋ·	
ए » अइ? अ, आ?· इ· — ए·	ऐ » ए· इ· — ऐ·
ओ » अउ? अ? उ· — ओ·	औ » ओ· अउ· उ? — औ·

B. DE CONSONANTIBUS.

Caput III.

De simplicibus consonantibus.

Eundem ordinem, quo literae in sanskr. grammatica enumerantur, secuti omnes singulas literas perlustrabimus, ita ut si opus est de unaquaque indicemus, ubi in prâkr. retineatur non mutata, ubi omittatur, et ubi et quomodo mutata sit.

I. *De Gutturalibus.*

§. 36. Tenuis क,

I. locum, quem in skr. tenet, satis constanter in prâkr.

servavit, praecipue in initio verborum cf. किं U. 14, 13; कधं 13, 10. pro कथम्; करेम्ह pro कुर्मस् ib. 9, 6; कुसुम 19, 10, etc.; et hôc loco non ita saepe desideratur, velut Mâl. M. 44, lin. 4. श्रालो pro कालो; fortasse in dubio verbo श्रम्हका U. 77, 15 — pro कन्यका?, quo cum loco cf. 55, 4. कामश्रा, et Mudr. 103, 3; Sak. 34, 3; et cum श्रालो Urv. 78, 11: कालो etc. — E contrario in medio verborum, seu brevibus seu longis vocalibus circumdata est, saepius omittitur, velut: णिउणिए U. 15, 5. लोश्र U. 35, 11. सउन्तला Sak. 77, 3. etc., quam retinetur: U. 20, 13. 25, 10, 13, quod ibi fieri solet, ubi cum aliis conson. coniuncta erat, easque sibi similes reddidit: तक्केमि, सक्क U. 9, 4. 13, 12. etc. Denique in fine verbi nunquam ferendum videtur esse: sic omittitur in हद्धी pro हाधिक् Sak. 16, 1. etc.

II. Immutatur rarissime;

1) in aspir. ख transiit

semel, ni fallor: Sak. 29, 3. खुज्जस्स pro कुब्जस्य; tum vero

2) in mediam ग,

item semel in Mri. 139, lin. 6. 7. मरगश्र pro मरकत.

Quod vero nunquam in palat. च abiit, sicut in sanskr. in syllaba reduplic., in pronom. चित् etc., cf. Bopp. m. §. 260, 330, maxime miramur. Sed, quam constans sit haec litera क, quae principatum suum iure obtinuit, ex eo potissimum intelligitur, quod licet alias et multas consonantes sibi similes reddiderit, sese tamen perquam raro aliis lit. assimilaverit cf. §. 89. —

§. 37. Aspirata ख

I. nonnisi rarissime reperitur in prkr., non mutata: sic Sak. 31, 1. खज्जिश्राए et idem ib. 115, 5. cf. §. 19, 2. 6. — tum खज्जूर pro खर्जूर ib. 34. extr. etc. Nunquam autem prorsus omittitur; plerumque

II. transiit asp. ख in alias lit.

1) num in tenuem क?

verisimile quidem est; at Mudr. 38,2. कीलिदुं non opus est ut per खेलितुम् explicetur. Alia exempla non memini legere.

2) saepius in lit. ह,

ita ut, क-sono omisso, sola aspiratio servata sit: sic सुह pro सुख, U. 49,4; Sk. 14, lin. 2; णाह pro नाथ Mâl. 115. lin. 13, etc., cf. Urv. 3,11. 4,4,16. Sak. 2, 1. 33, 3.

§. 38. Media ग

I. semper in initio servatur, ita ut ne semel quidem eiecta esse videatur: गदो U. 4,14. 33,1. Sak. 79,3. 21,2.5; — etiam in medio भाग U. 26,1. etc. ubi tamen, si vocalis alia sequitur, alia antecedit, saepius eiicitur: णाअरो U. 25,4. सुहअ pro सुभग ib. 25,6. भअवदो etc. cf. Sak. 25,1.

II. Mutatur ग rarissime,

et vix aliter nisi ita, ut aspiratio — et aspiratae alicuius, et ह ipsum — syllabae seu sequentis seu antecedentis, cum lit. ग contrahatur quodammodo. Itaque

1) lit. ग fit घ.

Revertamur hôc loco ad subst. गृह, cuius formae गिह, गह, गेह §. 26, *a*, *c*, *d*. allatae sunt. Restant praeter illas quatuor hae: घर, घल्ल, घरअ, हरअ. Iam vero fac, ut in usu fuerit aliquando forma गर्ह: ex hâc nascuntur tum: गह et गेह, prâkrito more; tum — persico more, secundum quem र, cum sequ. conson. hôc modo coniunctum, saepius solum retinetur, quam cons., quae in prâkr. solet obdurare: sic skr. दीर्घस् persice: دراز (dirâs) cf. Wilken. pg. 309, prâkr.: दीहो Sk. 40,4; similiter sanskr. ग्रीष्म persic. گرم (germ) Wilk. pg. 376, prâk. गम्ह et गिम्ह Mri. 18, 1. Mâl. 54, l. 2. — hunc in modum, inquam, घर et cet. oriuntur, ita ut र cum sequ. vocali coniunctum, ह autem non omissum sit, sed ad conson. initialem ग transsiliat, eamque in aspir. घ abire cogat. — Sic घर legitur Urv. 30,5; Ratn. 21,3. 35,2. Mri. 140, l. 7. 141, l. 4,9. Mudr. 15,1. Mâl. Mdh. 29, lin. 7. et ubivis. — Ex घर fit घरअ, acced. suf-

fixo क, Ratn. 35, 3; et र in ल mutato, sec. §. 54, 2. घल्ल Mri. 26, 2. 220, lin. 10; Aspirat. autem घ secundum §. 39, II. saepe in ह transiit: itaque हग्र oritur, quod Sak. 65, 1. invenitur.

Aliud exemplum est Mri. 43, lin. 10: घेत्तूण et घेउण Mâl. 71, l. 2, cf. §. 196, Gerundia pro गृहीत्वा, ubi simili modo ह finale radicis गृह् s. गेह् ad ग recessit. Praeterea semper ग, et ह retinentur disiuncta.

Nota. Similia in ipsa sanskr. reperiuntur, velut भूयस् ex बहु, quod Bopp. Vgl. Gr. I. pag. 259. eodem modo ortum esse docuit: asp. भ ex ब et ह, omissa voc. अ; cf. h. libr. §. 18. extr. काख् pro खल्. Alia cf. §. 48, 1.

2) ग fit ह s. घ

ita ut lit. aspirata praecedens aspirationem suam omiserit, quae tum locum sequentis ग occupasse videtur: sic Sak. 14, 3. legitur बहिणिआ pro भगिनी; idem (cum ब s. व pro भ) Ratn. 96, 1. 101, 4. 102, 1, etc.; ex भ solum ब s. व — §. 52. — relictum est; ह autem aspirationem primum cum ग in घ transiisse, tum ex घ natum esse ह arbitror, sicuti in हग्र no. I. — Itaque prior forma बघिणी fuerit; nisi mavis statuere, ग omissum esse: बइणी, eiusque locum cepisse lit. ह ex भ. Quod non placet. —

Nota 1. In simili voce, cf. Ratn. 71, 3. Mri. 45, lin. 7: मन्द्भागिणी nunquam hanc literarum contractionem animadverti: fit enim भाइणी, भ् servato, ग् omisso. Ubi quominus ग eodem modo mutetur, impedit, arbitror, longum आ, inter भ et ग collocatum. In ceteris exemplis vocalis nonnisi brevis aderat. — Conferre licet ipsam ling. sanskr., veluti ubi -बुध् in fine composit. fit भुत्, ita ut aspir. in antec. lit. transeat. cf. Bopp. min. §. 56, *b*.

Nota 2. At praeterea nusquam lit. ग immutatur. Nisi formam लिङ्क pro लिङ्ग huc trahere vis, quam Leyden. As. R. X. p. 284. inter alia prâkr. verba attulit. Similia desiderantur. In दहिदुं pro दग्धुम् Sk. 70, 1. lit. ह radicalis (rad. est दह्) non opus erat ut

mutaretur, quum voc. इ sequeretur ante Infinitivi terminationem. — De उव्वेल्लिदस्स Sk. 34, 5. (Ch. उद्विग्नस्य) cf. §. 21, 2. not.

§. 39. Aspirata घ.

I. Exempla, in quibus घ non mutatur, sunt घढिदं U. 49, 1. et 36, 5. लंघिदो cf. Sak. 121, 2. etc.; nunquam prorsus eiectum est. Sed

II. plerumque immutatur ita
ut transeat in ह,

ग-sono omisso: sic लहुं pro लघु U. 33, 1, quae vox in comment. hic illic falso explicatur; tum दीह pro दीर्घ Mri. 80, 3. Sk. 40, 4. — §. 38, 1. — cf. Urv. 19, 10. etc.

In solum ग nunquam transiisse videtur.

II. *De Palatalibus.*

§. 40. Tenuis च.

I. In initio verborum etiam in prâkr. invenitur; sic U. 32, 10. चित्त pro चित्र, cf. 7, 11. 7, 18; et in medio verborum, si cum aliis coniungitur conson.; sin vero vocales et antecedunt et sequuntur, plerumque eiicitur: वअणं U. 33, 12; सूइदस्स pro सूचितस्य 32, 1; ib. वाआ pro वाचा- cf. 61, 15. 62, 2; saepissime च, que, fit अ: Mâl. 90, 12. एसा अ pro एषा च cf. Mri. 80, lin. 4. etc.

II. nunquam videtur mutatum esse; sunt enim paullulum constantiores in prâkr. literae palat., quam exspectari potest. Quare, licet palat. sicuti lit. ह communis videatur gutturalis quaedam natura, dubito, num Sak. 26, 1. forma मोहाएमि recte per मोचयामि redditum sit; cuius rei analogia desideratur. Non item, si मोत्तयामि in comm. legitur. cf. §. 85, *b*.

§. 41. Aspirata छ.

Non eos locos moramur, in quibus lit. छ nonnisi euphonica mutatio est literae श. Bopp. §. 61, 64. Tum छ sicut lit. श prâkr. in dentalem स transiit: sic Urv. 36, 6. सकाशाच् छापस् fit सआसादो

साओ etc. — In initio verborum radicalis l. छ retinetur: sic Sak. 75,5. छन्दो pro eod.; etiam in medio; eâ tamen lege, quae in sanskrita, si in fine vocis antecedentis brevis vocalis invenitur, tenuem च् inscrendam praescribit, etiamsi non prorsus neglecta, nullo tamen modo constanter servata. Et ne in sanskr. quidem: Bopp. §. 60. 88. Sic तव च्छाया fieri potest: तुव छाआ. Item in med. radic. Urv. 24, 10. इच्छामि; et 16, 8. संपुच्छदि, quae inconstantia ubivis potest notari.

§. 42. Media ज

eodem modo, quo tenuis च, in initio fere semper retinetur, seu radicalis est, seu ex य orta: cf. Urv. 13, 3. जीहं pro जिह्वाम् ib. l. 12. जाव pro यावत्, U. 54, 4. जाणामि; sed ib. 43, 15. आणामि, in molli effiminataque oratione Vidusch. cf. Sk. 52, 5. Et hic et alias in consonantibus eiiciendis servandisque tanta varietas perspicitur, quantae iusta causa vix potest inveniri. E medio verborum, nisi per assimilationem duae lit. ज्ज conveniunt, velut U. 29, 17. भुर्ज fit भुज्ज ib. 2. 22, 9. etc. cf. ass. §. 94., semper eiicitur: velut -राअ U. 11, 4. ib. 8, 10. राएसि pro राजर्षिस् quam formam, §. 55. explicabimus; huc autem pertinere arbitror, quoniam lit. ज् omissa est. Et multa praeterea.

Nunquam mutari videtur. Quamvis enim saepe e verbis skr. eiecta sit, nihilominus in prâkr. saepius occurrit quam in sanskr.: Non raro enim ex aliis literis oritur. cf. §. 54, 1.

§. 43. Aspirata झ,

quae sicut surda aspir. छ in zendica lingua teste Bopp. Vergl. Gr. I. §. 37. non amplius reperitur, in prâkr. eundem fere locum obtinet, quem in skr. Sic U. 14, 3. उज्झिअ pro उज्झित्वा cf. 42, 5. 72, 2. Prabô. 39, 8. etc. — Nunquam omittitur; sed immutatum est ni fallor ita, ut in sol. aspir. ह transierit, in form. pronominis pronom. sec. pers. qu. vid. तुह pro तुज्झ (= तुभ्यम्, य = ज + भ = ज्झ). §. 161. *h*.

III. *De Lingualibus.*

§. 44. Tenuis ट et Media ड

apte hôc loco possunt comprehendi, quum easdem fere subeant mutationes. Et primum quidem ubi in sanskr. erant, etiam in prâkrita reperiuntur, non mutatae, ut in initio verborum Sak. 153, 1. डिम्भएण pro डिम्भकेन etc. Tenuem ट non inveni. Sed nescio cur Bopp. Vgl. Gr. I. pg. 15. med. statuerit, has literas in initio verborum non legi. — Saepius profecto in mediis verbis locum habent: U. 49, 1. घटिदं ib. 19, 9. etc. et media ड: U. 16, 5. सपोडा ib. 48, 13. कोडिस्सं, 62. 17. पोडश्रो etc.

II. Immutantur ita praecipue,

1) ut Tenuis, sicuti fieri solet in prâkr., in Mediam transeat: cf. U. 19, 10: विहडिदेहिं pro विघटितैस् cf. 4, 4. 20 11. Sk. 3, 2: णाडश्रं pro नाटकम् cf. 25, 1. 32, 1. 56, 3. Mri. 202, 6. 3, l. 6. Ratn. 5, 1. 11, 2, etc. more satis constanti. — Alia mutatio, quae utriusque literae communis est, est

2) transitus in dentalem semivoc. ल

quam in prâkr. saepissime ex aliis literis orientem, imprimis autem dentalibus maxime cognatam videbimus. §. 46. 48. Itaque ubi in skr. ट vel ड, ibi in prâkr. saepenumero ल. Urv. 14, 1. चेलिश्रं pro चेटिकाम्; ib. 16, 16. पप्पलेहिं pro पर्पटैस्; ib. cf. 57, 5. — Sed his in locis non tam ipsam ten. lit. ट ṭ, quam potius ड mediam, ex illa ortam, in ल transiisse statuo. Item res sese habet de litt. त et द in र et ल transeuntibus. cf. §. 46. II, *b*. — Itaque media ड saepe fit ल: cf. Urv. 15, 2: पोलेदि pro पोडयति, cui loco adde hos: Urv. 54, 13. 58, 5. 67, 5. Sak. 56, 2. 152, 1, 5.

Nota. Nescio, an nunquam in lit. र transierint: non enim memini ullum locum legere. Sed literarum ड et ल permutationem intra fines ipsius sanskritae hic illic potes invenire; id quod interdum Wilso tetigit in Lexico suo. Sed unius loci reliquum est ut

mentionem faciamus: Mri. pg. 64. not. 8.: ubi गण्डो in गन्थु, ड in surdam थ abiisse videtur. Quod tamen quum contra prkr. usum et consuetudinem offendat, addubitari potest. — Sak. 27, l. 3. et 32, 1. अहिण्ड per rad. हिडू, non vero per अटू explicandum esse, in aperto est. cf. de voc. आ correpta §. 19, 1.

§. 45. Aspiratae ठ et ढ,

retinentur in prkr. cf. U. 19, 14. उक्कण्ठं pro उत्कण्ठाम्, tum ibid. 29, 6. दढं pro दृढम्; neque unquam mutatae sunt. Nam Sk. 125. not. 2. in comm. सम्मोह legendum est pro सम्मूढ, quod alibi, ubi in prâkr. locum habet, non mutatur, velut Urv. 89, 15.

Iam vero, quod de palat. §. 42., idem hôc loco potest dici: quum linguales saepe ex aliis conson. in prâkr. nascantur, factum est, ut usus harum literarum multo frequentior sit quam in sanskr. Accedit enim quod nunquam fere omittuntur. — Unum tamen locum inveni Mri. 202, 6. करअअ pro करटक, ubi ten. ट eiecta est. —

IV. *De Dentalibus.*

§. 46. Tenuis त,

I. servatur quidem in prâkr.; sed non ita saepe.

1) In initio verborum constantior est, velut in toto pronom. demonstr. तत् qu. v. obduravit: तं U. 14, 1. ताए 35, 14. तेण 21, 5. तस्सिं 35, 5. etc.; et in omnibus fere casibus pronom. II. pers.

2) In medio verborum ibi potissimum servatur, ubi alia lit. consonans, imprimis न्, antecedit, velut in Infin. गन्तुं Sk. 22, 2., semper in III. pers. pl. जाणन्ति ib. 105, 1; et ubi per assimilationem alias literas vel sequentes vel antecedentes sibi similes reddidit.

Haec exempla et alia non admodum frequentia si exceperis,

II. saepenumero variisque modis literam त् mutatam reperies; et quidem, sicut aliae tenues, sic

1) त transiit in mediam द्

saepissime, ubi inter duas vocales locum habet. Cf. pron. एदं U. 12, 12.; in terminatt. Gen. et Abl. दो, दस्स, आदो; in III. sgl. दि, Partic. दो, Inf. दुं pro तस्, तुम् etc. Tum in multis singulis verbis, ut पदि, quod et प्रति significare potest, cf. Urv. 23, 9. Sak. 47, l. 4, पदोआरस्स etc.; et पति i. e. dominus, velut Ratn. 58, 2; इदो pro इतस् Sk. 16, 1; तदो 23, 5. etc. Etiam in initio verbb.: दे Gen. pro ते Sk. 12, 6. saepe; दाव pro तावत् Sk. 17, 1. etc. Tamen post praecedentem nasalem न् - न्त nonnisi rarissime in न्द transiit: cf. Prab. 66, lin. 2.: मन्तयन्दो pro मन्त्रयन्तो, et Ratn. 26, 1. सन्ताप fit सन्दाव; idem Sk. 51, 2. et 65, 1, a rad. तप्, non vero a दु, unde skr. सन्दाव oritur, cf. Lexic.

Ex hôc transitu literae त् in द् aliae ni fallor intelligendae sunt mutationes, quas lit. त् saepe subiit. Itaque

a) त fit lingual. ड.

Cfr. पडिदं Sk. 156, 3. pro पतितम्; imprimis saepe in praeposit. प्रति, cuius est altera forma: पडि — cf. II, 1. — U. 5, 7, 17. 6, 5. 11, 12. 13, 8. 16, 11. 22, 8. 80, 3. Sk. 2, 1. 11, 4. Mri. 77, 7. 79, 5. 81, 3. et cet.; attamen, ni fallor, non त, sed द ex त ortum, in ड abiit. — Tum vero

b) त fit semiv. ल,

velut in eadem praeposit., quam hôc tertio loco mutatum videmus: प्रति fit पलि satis saepe, licet hic illic meliore sum iure पडि legendum sit in comm. cf. §. 55, 2. — Exempla sunt U. 14, 8. 21, 8. 27, 15. 32, 13. 40, 14. 55, 3; alia. Quae mutatio quum in eos tantummodo locos cadat, in quibus pro त् etiam द् s. ड invenitur, ita fortasse accipienda erit, ut non tam त्, quam potius mediae द् s. ड in ल् transierint. Cfr. Grimm D. Gr. I. pg. 152. not. Nam Linguales in Prâkr. saepe fiunt ल्; द् radicale fortasse nunquam; cf. §§. 44, 2; 48, 3. Quare aptius duxi, quatuor illas formas in hunc ordinem redigere: प्रति, पदि, पडि, पलि, ita ut alia ex alia nata videretur:

Ex प्रति fit primum पदि् quae forma tanquam antiquissima raro invenitur; longe autem frequentissima est पडि, quae hic illic denuo in पलि abiit.

Nota. Permutatio ista literarum „d et l", quam Prâkrita hôc loco confirmat, ex aliis linguis cognatis satis superque nota est. Iis, quae hac de re imprimis Bopp. Vgl. Gr. I. pg. 16, et Pott Et. Forsch. pg. 94 sq. docuerunt, liceat unum exemplum addere, latin. *dingua*: cf. Mar. Victor. pg. 2457 ed. Putsch. et Lindem. Corp. Gr. Comm. in Festum Tom. II. p. 473. Cuius vocis lit. init. „d" propius ad originem accedit, quam lit. „l" in altera forma: lingua. Cfr. sanskr. जिह्वा, formam redupl. radicis ह्वे i. e. vocare, = dschihvâ = di-ngva, quae in Prâkr. fit जीहा Urv. 13, 3, semivocali omissâ; in Zend. hizva Bopp. Vgl. Gr. I. pg. 51, 55; in Pers. زبان (zebân) Wilken. Gloss. p. 324. Iam vero cfr. tuggô (duggô? Grimm. l. l. et pg. 586.) zunga, zunge, tunge (lunge?), langue, language, tongue, tonge, lengua etc. — Quod denique attinet ad -λίκος in ἡλίκος etc., quod Bopp. l. l. p. 17. cum दृश comparat, in ipsa prâkr. non dubito, quin सलिस inveniatur; cuius tamen ल् ad ऋ alterius formae सरिस pertineret. Sed haec hactenus.

2) num त transiit in थ asp.?

Quantum equidem sciam, vix unquam. Neque enim ii loci huc trahendi sunt, in quibus lit. त cum anteced. स (et ऋ?) in त्थ mutatur. Nam etiamsi थ hic locum literae त tenet, aspirationem tamen nonnisi per lit. स् effectam esse statuo.

3) Num in asp. ध sonoram transierit,

magis dubium est. Ni fallor, Sak. 112, lin. 5. एध, quod per एतम् falso explicatum est, ex ipso pkr. इध sec. §. 21, 2. oriri poterat, quod ib. lin. 1. et 8. legitur, cf. §. 62. — Praeterea lit. ध fere semper in Imper. II. plur. invenitur: U. 46, l. 2: अच्चेध pro अर्चयत Sk. 110, 4. आणाध pro आणत्तम्, 112, 2. etc. Sed potest ambigi, utrum haec forma Atman. an Parasm. propria sit. Si ad Atmanep. pertineat,

quod nullo modo e Prâkr. evanuit, ध ex ध्वम ortum est: cf. U. 1, 1: परित्ताअध et skr. परित्रायध्वम्. Vide quae §. 187. de his formis decebimus.

4) Syllaba reduplic. verbi स्था

in prâkr. duplici modo mutatur. Velut तिष्ठति aut fit: ठिट्ठदि Sak. 31, 4. 28, l. 7. recte; sed pro init. ठ potius ट exspectamus tenuem; cf. Bopp §. 330, 1 et 4; — aut चिट्ठदि U. 31, 10. 22, 12. 88, 11., quod offendit contra skr. regulam, quum in syllaba radicali neque lit. palat. insit, neque क्, neque ख्. Sed ipsa litera स् hanc vim exercuisse videtur, ita ut propterea quod evanuit e syllaba seq., quodammodo in dent. s. linguali syll. antecedentis servata sit. Quare त s. ट in palatinam sibil. च transiit. Praeterea unum locum invenio, ubi त्, praeced. ऱ्, in idem च्च transiisse videtur: Sak. 83, l. 1. परिच्चत्तणाच्चणा pro परित्यक्तनर्त्तना, cuius tamen utrumque च्च usitato more ex त्य ortum est, §. 54, 1. not. Nam rad. नृत्, a qua नर्त्तन acced. suffixo अ́न formatum est, in Prâkr. satis constanter णच्च् sonat = नृत् + य् signo cl. IV, quod simul inest in nostra forma. Cf. §. 26, B, 1, *c*.

5) Dentale त permutatur cum lab. प.

Interdum ubi sanskr. verba habent त्, in prâkr. lab. प reperitur; quod quamvis raro tantummodo accidit, tamen in duobus prâkr. verbis extra omnem dubitationem positum esse arbitror. Primum in voce आत्मन्, quae hanc suam sanskritam formam nunquam in prkr. retinuit, sed aut in अप्पा, aut in अत्ता (nominat.) mutatur. cf. §. 142. d. declin. suff. अन् et मन्, ubi omnes casus, quos inveni, recensebuntur. Utramque vero formam per assimilationem natam esse, in aperto est; illa tamen, अप्पा, quae tricies quadragiesve in dramatis legitur, non nisi ita, ut litera त्, priusquam sequentem nasalem sibi assimilavit, in प् abiisset. Quare hic illic, म् sequ. prorsus eiecto, solum प: आपा legitur, ter quaterve. —

Iam de altero loco videndum erit. Sunt enim quaedam for-

mae pronominis त्वम्, ut पइ, पइं, पज्जि, quas in nulla alia fabula, quam in una Urvasia legi; de quibus autem explicandis non facere possum, quin Lenzio, Urvasiae Editori, prorsus repugnem. Cfr. Not. ad Urvas. act. IV. pg. 217 extr. ubi haec leguntur: „प secundae personae, abiectâ त, et obduratâ व, e stirpe त्व nata sit"; quibus verbis dicere voluit V. D., व in fortiorem lit. प abiisse. — Quod etiamsi in aliis linguis fieri potuisset, in prâkr. factum esse negaverim, quippe quod a Prâkritae tota natura maxime sit alienum, cf. §. 69. Etenim litera प, sicut omnes tenues in medias, ita saepenumero in ब vel ipsam व abiit; nunquam profecto, prâkr. व in प transiisse probari potest; et unius loci, qui huc referri posse videatur, interpretationem sanskritam §. 57. emendabimus. Tum vero, si व्वइ, वइं ct. priores formae essent, exspectari posset, easdem hic illic relictas esse. Quod non ita est. E contrario autem तइ et तइं etiam nunc inveniuntur, sicut in तत्तो, तए al. solum त ex त्व relictum est. Praeterea accedit quod ante व interdum med. द omittitur, cf. वि- in विदिश्र pro द्वि- §. 86.; nunquam vero tenuis त् fortior et constantior. — Itaque si lit. प his in formis ex una sola litera ortam esse statui debet, equidem eam ex त् ortam esse autumo. Qua in re tamen sequentes *labiales*, semivoc. व et nasalem म vim aliquam exercuisse non nego. —

Nota. Similem literarum प् et त् permutationem, quae cognatâ naturâ dental. et labial. nititur, in aliis etiam linguis observare licet. Et in ipsa prâkr. etiam प् skr. e contrario cum त् prkr. permutatum esse potest demonstrari, cf. §. 50, 4, ubi lit. स sequebatur. Non ea exempla huc trahere volo, quae quum ad skr. palat. recedunt, in graeca et latina linguis habent κ, π, τ, velut κε, πε, τε; que, pe, te (cf. πέμπε, πέντε, τέττορες et πίσυρες); sed meliore cum iure hic comparari possunt: στάδιον et σπάδιον; στολή et σπολή, ὀβελός et ὀδελός (cf. Koen. ad Gregor. p. 364, 615. Grim. I. 589, *a.*), σάνδαλον et σάμβαλον. Accuratius etiam cum nostro

loco congruunt haec: dvis: bis. duonum: bonum. duellum: bellum. duellona: bellona. dimus: bimus. al. quae solum ita discrepant, quod „d" antecedit: quare ex „dv" non p, sed b fit. cf. Dufr. du Cange Gloss. med. lat. I. pg. 903. 910. 926. edit. Basil. 1762. Lindem. Corp. Gr. L. II. pg. 396-7.

6) Ubi in skr. त्, ibi in pr. Anusvâra

invenitur, ut in fine pronom. demonstr. gen. neutr.: तं pro तत् etc. cf. §. 165 sqq. Quod equidem non ita explicaverim, ut lit. त् in Anusvâram transiisse statuerem. Sed quoniam haec terminatio अत् vetus erat et minus usitata, videtur evanuisse et alteri frequentiori in अं locum suum cessisse.

7) Num lit. त in vocales abiit?

Nunquam, arbitror; licet non raro fieri videatur, ut in singulis quibusdam locis, e quorum numero est imprimis रअणा pro रत्न: Cfr.: Ratnâv. 25, 4. 84, 3. U. 80, 10. Sk. 35, l. 1. 101, l. 1. Sed dubito, num त् in अ abierit, Sak. loco pg. 110, l. 3. edoctus, ubi लद्णा legitur. Quare apertum arbitror, in रअणा non अ ex त् ortum esse, sed inter duas consonantes त् et न् vocalem अ insertam esse. cf. §. 76. Itaque prima forma रतणा seu रद्णा erat, ex qua postea, ipso त् s. द् omisso, रअणा factum.

Eodem modo aliae formae explicandae sunt. Vide Cap. IV. l. l.

III. Lit. त prorsus eiicitur

e medio duarum vocalium; quod nonnisi rarissime in termin. Verborum, III. sg. Prs. et III. sg. Imp. admittitur, cf. Urv. 53, 2. समु-ल्लसइ pro -ल्लसति; saepius in Part. pss. -इओ pro इतस् et in aliis verbis: वइ et वइणो pro पातिस् et पतेस् Ratn. 44, 4. U. 74, 17. Eodem modo verba nonnulla persica explicari possunt. Post longas vocales eiectio literae त् non quidem inaudita est, sed paulo rarior et inusitatior. In fine tamen verborum त्, nisi alio modo sicuti in Abl. I. decl. qu. v. vocales accesserant, satis constanter abiiciebatur; velut in adverbiis जाव Sk. 28, l. 4. दाव U. 26, 6. pro

तावत् etc. पच्चा Sk. 112, 1. s. पच्छा Rtn. 68, 3. 69, 1. 71, 1. 74, 5. Mri. 285, 1. pro पश्चात्, quod Ablativi instar semel Mudr. 141, l. 14. in पच्चादो transit; cf. §. 93. Tum in formis verbal. Potential. III. sgl. भवे pro भवेत्; Perfect. III. sgl. आसि pro आसीत् etc. cf. §. 185. Adde किञ्चि Mudr. 10, 1. etc. quae forma semel in Urvas. त् suum servavit; alias autem habet Anusv. II. no. 6. Vide quae Bopp. Vgl. Gr. I. §. 38. extr. hac de re disputavit; modo ne literae त् propriam esse statuas, quae in prâkr. omnium final. consonant. sors communis est. cf. Prolegg. §. 11. extr.

§. 47. Aspirata थ,

I. rarissime ibi, ubi in sanskr. erat, in prkr. retinetur: sic Sak. 39, 5: रथो. Mri. 65, 1. माथुरु; saepius, si anteced. aliquâ conson. nititur, quae plerumque in ten. त् abit, per assimilationem: त्थ cf. cp. IV. §. 98.

II. Immutatur ita, ut

1) in sonoram asp. ध transeat,

semper in II. pl. Prst. §. 179. Et in aliis formis: U. 36, 11. कधा pro कथा; कधेहि pro कथय; Sak. 16, 3. अदिधि pro अतिथि, पधादो pro पथात् Rtn. 14, 1. cf. Utt. 75, 1. जधा U. 13, 7. 11, 12. 9, 14, 15. 14, 12. कधं pro कथम् etc.

2) transiit in Linguales

a) in surd. aspir. ठ, post eiectum स्: U. 22, 1. ठाण pro स्थान.

b) saepius in sonor. ढ: velut U. 20, 18. पढम pro प्रथम; सिढिलो pro शिथिलो ib. 29, 7. cf. Sk. 3, 2. 39, 3. 60, 1. etc., id quod Bopp. Vgl. Gr. I. pg. 15. init. indicavit.

c) Aspiratione neglecta, non द् invenitur, sed interdum lingualis sonora ड, cf. Sak. 82, 2. ib. 113, 1. णिबडन्ति pro निपथन्ति.

3) transiit in solam aspirationem, i. e. ह,

eiecto T-sono, saepenumero: U. 5, 6. रहो pro रथो cf. 10, 1. Sak. 11, 4. णाहो pro नाथो. cf. 12, 2. 20, 1. कहं pro कथम्; Utt. 43, 3;

पुहवी U. 9, 15. cf. 46, 11. 77, 1. Sak. 12, 6. Prabò. 44, 3. Ratn. 25, 2. etc. —

Nunquam tota lit. ष eiicitur. cf. §. 69, II.

§. 48. Media द

I. ubi in skr. erat, ibi in prkr. saepe servatur: दुल्लह U. 22, 14. pro दुर्लभ; 5, 1. दाणवा 6, 17; दिसाए 3, 14. cf. 14, 1. 6; tum in medio चन्दादो U. 7, 18. pro चन्द्रात् cf. ib. 29, 6. 16. etc. In fine verborum neque त्, neque द्, pro skr. euphonicis regulis ex tenui nata, fertur. Semel tamen Urv. 9, 3. किम्बिद् अ- invenitur; quamquam nescio, an emendandum sit. Cf. §. 171.

II. Lit. द immutatur ita, ut

1) in aspirat. ध transeat,

per similem contractionem, qualem §. 38, n. II. de media ग indicavimus: ह syllabae sequentis evanuit, et una cum द् in aspiratam ध् videtur coaluisse. Ut in forma धोआ, vel धोदा, quae prior est forma; quam quum non intelligerent, interpretes per पुत्री explicaverunt. Cfr. Nomin. Ratn. 34, 1; Vocat. Mri. 144, 1. 103, 3., ubi pro धोए in comm. leguntur पुत्रि et पुत्रिके. Aliis in locis habent comm. दुहिता etc. recte arbitror, cf. Urv. p. 16, l. 5. 7. Ratn. 36, 1. etc. — Alteram et primam formam दुहिदा et दुहिदरं invenimus Urv. 15, 5. Sak. 125, 4. Ratn. 3, 2. 34, 2. Sed neque hoc impedit, quominus धो- ex दुहि- natum statuam, neque illud, quod धोदा secundum I. declin. flectitur. Quoniam Nominat. in आ exit, hâc quidem re nihil frequentius est.

Nota I. Sed ne silentio praetermittam, invenitur haec vox apud Wilsonem: „धोदा f. a virgin, a maiden. 2) understanding, intellect;" — ubi tamen nihil de origine allatum est. Quare, ni fallor, praesertim quum utraque significatio non bene possit coniungi, hôc loco duo verba confunduntur, quae diversam originem habent; quorum alterum prâkritum esse iudico pro दुहिता; de altero cf. antec. धी et rad. ध्यै. —

Nota II. Iam vero si haec ratio vocis illius explicandae potest confirmari, primum intelligitur, unde aspirata ϑ graeci verbi ϑυγάτηρ originem traxerit: nimirum propter sequ. lit. ह्, quae tamen quum in γ servata sit, bis quodammodo adest. — Tum vero hoc modo latina vox: filia sororibus cognata videbitur; quae mea coniectura, licet speciem prae se ferat audacissimae ac temerariae opinionis, potest tamen probari, dummodo reputemus, skr. ध saepe in lat. f, et d in l transiisse. cf. §. 46, 1. *b*; cf. lat. fumus, infer etc. — Itaque prâkr. धोदा in „fila" potuisset transire; et simili modo lat. filia ortum esse sentio. Ex solo autem द् nunquam ϑ et f nascuntur; sed, quod hoc loco addi liceat, eandem aspirationem, quam ह्, interdum semivoc. व iniecit: cf. ϑύρα et fores pro द्वार्, ubi व्, licet in graeco υ et lat. ô servatum sit, asp. ϑ et f effecit. —

Nota III. Itaque etiam „filius" huc pertineret; cuius propria et vera forma ni fallor in lat. iurisiurandi formula: „Me Dius fidius" relicta est: cf. Festum in Corp. Gr. Lindemann. Tom. II. pg. 101, 502; fidius = filius, id quod non a me primo inventum est, sed meam coniecturam videtur stabilire. — Qui vero improbant, quod illam vocem prâkritam धोदा ex skr. दुहितृ ducendam statuo, iis sanskr. धीता, partic. radicis धे, magis placebit. Itaque filius et filia melius congruerent. Cf. etiam verbum: dida i. e. nutrix, μάμμη, apud Dufr. du Cange gloss. tom. I. pg. 807. —

2) lit. द् num in palat. abiit?

sine dubio: cf. Urv. 18, 6, ubi इज्जिसो pro ईदृशो legitur; sicuti tenuis त — cf. §. 46, 4. — cum tenui च permutata est. Videtur enim sibilantem aliquem sonum sibi admiscuisse, cuius rei causa fortasse in sequ. श (fit स) posita est. Praeterea hanc permutationem non inveni. Nam in Commentario locorum Sak. 31, 1. et 115, 5. pro खाद्ने (prâkr. खज्जिके) legendum propono skr. खाज्जिके, ad quam vocem accedit खज्जिके quam proxime. Itaque quum compositum मोद्कखाज्जिक non amplius cum Hirzelio pro Tatpur. sed pro

Dvandvo accipiendum sit, sensus oritur optimus fere hic: Quid? In cupediis et placentis (Hirz. pg. 22. falso: Süfsigkeiten zu verschlingen) scil. भवितव्यं मया? Vidusch. interrogat; et 115, 5: vino et placentis — vel simile quid: nam खाज्जिक est „fried or parched grain" Wils. — (Hirz. 76: Mit Essen und Trinken) scil. amicitiam concupiscimus. In primo loco खज्जिआए est Locat. gen. feminini (thematis खाज्जिका?).

3) Rarissime in lingual. transiit;

Bopp. Vgl. Gr. §. 15. भोडु memorat; quod non inveni; Urv. 4, 19. 5, 4. 9, 15. 18, 6. 32, 6. 41, 3. 45, 2. 46, 6. 47, 10. 87, 2. 88, 7. 89, 5. a Lenz. certe भोदु scriptum est. Item in septem aliis locis भोदि. Sed Mri. 17. no. 1. ডস্সাদি pro दह्यते legitur.

III. Omittitur nonnunquam lit. द्; saepius in medio verborum जइ pro यदि Mudr. 33. U. 30, 12. 59, 1. 61, 16. हिअअं pro हृदयं U. 29, 12. cf. 13, 9. 21, 1. 27, 4. मअणेण pro मदनेन etc. In initio verbor. aut raro aut nunquam. Attamen Bopp. hoc de sanskr. vocibus nonnullis statuit: velut Gr. min. pg. 99. not. de अश्रु cf. δάκρυ, rd. दंश्; et de अहन् ex r. दह् ducendo pro दहन्, quocum verbo goth. dags, Tag, comparavit, quod tamen alio modo explicari posse iudicaverim. cf. §. 60, II, 1.

§. 49. Aspirata ध,

quae sicut surda थ e persica ling. evanuit, in prâkr. quum saepe ex aliis literis denuo orta sit — cf. §. 47, 62. etc. — maxime divulgata est. Itaque plerumque servatur, neque unquam eiicitur. cf. U. 57, 12. धुअ; 13, 3. धारिदुं 94, 1. साधारणो; ib. 20, 1. समाधिं; 21, 8. बन्ध; adde: 27, 3. 5, 3. etc.

II. Immutatur, ita ut

1) in solam asp. ह transeat:

velut U. 16, 15. विहस्स pro विधस्य. 81, 15. अवराहो pro अपराधो cf. ibid. 19, 9. 45, 12. 54, 14. Sak. 12, 1. 13, 1. 14, 2. 15, 1. 93, 3.

2) in med. द् abiit,

aspir. neglectâ, rarissime cf. Ratn. 17,1. सिन्दु et सिन्धु. Alia non inveni.

3) In asp. son. झ mutatum est

U.62,16: विज्जाझर- pro विद्याधर, ubi, cf. §.46,4.48,2, fortasse ज्ज antecedens similem sonum effecit; sed U.54,14. legitur विज्जा-हर. — Alio modo ii loci explicandi sunt, in quibus, velut Urv. 23, 3. etc. झ ex ध्य nata est (= ज्झ) cf. 36,12, et §.94.

V. *De Labialibus.*

§.50. Tenuis प

I. in Prâkrita tum extunditur, tum servatur; neque refert multum, quales sint quae sequuntur vel antecedunt, seu consonantes seu vocales. Attamen in initio verborum constantior videtur esse: परि U.3,2. पक्ख pro पक्ष ib. पदि, परा 6,1.17. पुणो Sk. 20,4; sed idem fit उणो S.18,1. पुरूरवस्स U.20,15. — In mediis verbis saepe eiicitur: U.16,7. णिउणिआए pro निपुणिकया; 22, 10. उअ pro उप, 36,6. साओ pro शापो etc.; vix tamen unquam ante sequentem voc. उ, quae levior videtur, quam ut sola et literâ sua प् destituta poneretur.

II. Quibus modis immutatur lit. प?

1) saepissime transiit in ब,

mediam suam: velut U.8,7. उब pro उप; 28,17. अणबरद्धं pro अ-नपराद्धम्; 3,9. तबो pro तपो. cf. Sak. 15,2. 17,2; ib. 1,1. in form. caus. अघबेदु etc.; -बत्त S.52,2. et U.30,10. in compositis verbis; sed ib. 30,8. पत्तं ubi solum et nudum पत्रम् legitur. Ante sequ. उ hic transitus perquam raro admittitur. — Tum vero nonnunquam transiit

2) in semivocalem व,

quum in ipsa skr. lingua lit. ब et व non satis accurate, in bengalica autem nunquam omnino distinguuntur, quare unum idemque signum et pro ब et pro व adhibetur. cf. Haughton Rudiments of

Bengal. Gr. pg. 1. et r. 54. et Bopp §. 21. — Sed etiam प in ipsa skr. nonnunquam in व diminutum videtur: ut पिवामि pro पिपामि ex Boppii sententia cf. Gr. min. §. 195.; de Prâkr. vix opus est exemplis, cf. U. 9, 3. अवरदो pro अपरतो Lenz adn. pg. 173.

3) Quare lit. प in vocal. उ transiisse

non est quod miremur, cf. §. 34, 2. Etenim in hâc dissolutione ultimam mutationem summamque videmus diminutionem, qua tenuis प potest affici. Neque dubium est, quomodo hoc mutationis genus sit accipiendum: non tam skr. प, quam potius ipsum prâkr. व, ex प ortum, dissolvitur; itaque Praepos. अव *prâkrita* (pro अप) in ओ contrahi poterat, eodem iure, quo ipsum *sanskr.* अव in Prâkrita in ओ transiisse docebimus §. 57, A. — Iam vero cf. Urv. 9, 3. ओसर pro अपसर et saepius: ib. 53, 8. 57, 13. 63, 1: ड्रोसारिअ pro ड्रापसारित; Sak. 83, lin. 2. 59, 2. Ratn. 17, l. 2. Mri. 137, lin. 4. ubi pro ओवाग्गदा legendum est ओवग्गिदा (= अपवल्गितास्) sicut Urv. 53, 8. In hisce igitur formis sequ. voc. अ omissa est: apa, aba, ava (Urv. 9, 3.), a͡ua, ô-(a).

Praeter hanc Praepos. अप huc pertinere videntur formae quaedam omnium fere difficillimae उअ Urv. 60, 7. Mri. 23, lin. 3. et उअह Sak. 2, lin. ult. Dubito num saepius in dramatis occurrant. Primo loco comment. habet पश्य, in altero उत, quod in skr. epicis scriptis non raro reperitur; in tertio denique अवलोकय; — iure ni fallor पश्य; qua de re cf. plura cap. VIII. §. 187. no. VII, 3. Quod si improbatur, ad उत refugiamus necesse est, cui in Sak. loco ह partic. adiecta sit.

4) Lit. त et प permutantur interdum,

ubi lit. स sequitur: sic अप्सरस् plerumque in अक्छरा s. अच्छरा (i. e. Nom. et thema) mutatur, velut Sak. 20, 1. 116, 1. 154, 4. Urv. 15, 1. et semper in hac voce. cf. §. 144; quae permutatio non recte intelligitur, nisi प् in त् transiisse statuis. Tum autem त्स fit छ cuius rei certam analogiam praebent वछ Sak. 106, 2. pro वत्स. Alia

et multa cf. §. 107. 194. Simili modo nonnunquam ex skr. स्न oritur ह्ण: §. 85.

5) num प in aspir. फ transiit?

cf. essai sur le pali p. 162, ubi exempla afferuntur. Sed in nostra prâkr. nonnisi tum factum esse video, ubi litera स् addita erat. cf. §. 84. Itaque legitur Urv. 53, 3. फस्स pro स्पर्श. cf. cap. IV. §. 101. Bopp. Vgl. I. §. 40.

§. 51. Aspirata फ,

ubi in skr. erat, id quod in raris tantummodo verbis accidit, cf. Bopp. Vgl. I. §. 18, in prâkr. vix unquam mutata est. Ut Urv. 23, 9. 26, 5. फल; idem retinetur Sk. 16, 4. 12, 2. 53, 1. 113, 1. Mâl. 29, 7. Ubi vero in prâkr. demum orta est, alias quoque mutationes videtur postea subiisse, velut in h, cf. cons. coni. स्प §. 101.

§. 52. Media ब,

in Prâkr. plerumque servatur, nullo modo mutata. cf. Urv. 45, 1 et 11. 5, 2, 3: बम्ह etc.; nisi quod in leviorem semiv. व abiit, quacum saepissime confunditur, imprimis in calcutt. editionibus. —

§. 53. Aspirata भ

I. servatur nonnunquam: ut in भोदि et भोदु U. 32, 7. 4, 19. 5, 4. etc. §. 48, 2. et in aliis formis rad. भू cf. U. 17, 17. 40, 11. 47, 2. 75, 22. Sk. 71, 2.; tum in mediis verbis: cf. U. 26, 1. 29, 7: -भावा; neque unquam eiicitur.

II. Immutatur ita, ut

भ in sol. asp. ह abeat,

b-sono omisso: velut praep. अहि pro अभि Sk. 25, 5. 3, 2; पडिहादि pro -भाति S. 11, 4. cf. U. 11, 12. 22, 8. Imp. होहि pro भव novies in Urv. 6, 16. 11, 3. etc. होन्तु U. 93, 9. cf. उबालहिस्सं pro उपालप्स्ये Sk. 58, 2. 128, 1. 116, 1, ubi quum इ insertum esset, प in proprium भ, et tum भ in ह transiit. —

Locos, in quibus भ, aspir. neglecta, sola lit. ब fit, cf. §. 38. बहिणिआ etc.; — qui tamen non frequenter occurrunt.

VI. *De Semivocalibus.*

§. 54. Semiv. palatina य,

I. e prâkr. paene evanuit, paucis locis exceptis, velut संसयो pro संशयो U. 4, 19; Sk. 15, 1. ह्रियमाणं etc. Saepius eiicitur e mediis verbis: हरणीत्रं U. 77, 15. 81, 15. भवेत्रं 40, 11. णिउत्ता pro नियुक्ता Sk. 8, 2. वग्रस्स, ग्राणीग्रदि U. 30, 9. विरग्रग्रामि S. 76, 4. pro विरचयामि· डायत् in pr. toties fit डाग्रदु, quam डेदु: cf. Ratn. 15, 3. 30, 1. 43, 1. Cum ग्रइ (pro ग्रयि) quod §. 34, 3. allatum est („a vocative particle" Wils.) conferri potest persicum اى (ai), quod Vocativo additur. Wilken pg. 16 et 253.

II. Immutatur saepissime, et quidem ita

1) ut in palat. ज transeat,

qua in re ipsius lit. य palatinam naturam licet perspicere; neque hoc prâkr. dialecti est proprium, sed in multis praeterea linguis idem prorsus reperitur: Cf. Anglorum j et Italorum g ante e et i; imprimis autem ling. persicam, ubi loco skr. य saepenumero ज invenitur. Bopp Vgl. Gr. I. §. 19. Pott Et. F. pg. 113. — Vix opus est, ut de prâkrita exempla afferam: cf. §. 170. pron. जो pro यो s. यस् U. 3, 2. etc., cuius omnes casus pro य habent pal. ज; यैावन fit जोव्वण Sk. 10, 2. quocum verbo comparari potest persicum جوان et جوانى (dschowâni) cf. Wilken instit. pg. 290. —

Nota. Num lit. य sola et per se unquam in *surdam* pal. च transierit, potest iure suo dubitari. Attamen hic etiam docendum est, si lit. त् antecedens per assimil. cum य coniungitur, त्य semper in च्च abiisse et nunquam, arbitror, in ज्ज, cf. §. 93. Quando vero et qua conditione et qualis lit. य in ज mutata sit, non accuratius potest definiri; saepius fortasse ea, quae radicalis erat.

2) Interdum videtur य cum ब permutari

in formis causat. cf. U. 11, lin. 8, 10, 11, 12. मोग्राबेहि et मोग्राबिस्सं pro मोचय et मोचयिष्यामि; sed non dubium est, quin ब ad प causale referendum sit; nec quicquam cum य habet commune.

Etenim in Prâkr. dial. hoc signum multo saepius ad causalia formanda adhiberi solet, quam in Sanskrita. Bopp. §.465 sqq.

Nota. Literam य in क et ह transiisse, non statuerim. Nam हअक, quod hic illic in Mri. legere memini pro हृदय, alia forma videtur esse, suffixo क s. अक formata. Item dubito, num Urv. 77,15. अन्हका ex कन्यका oriri potuerit. cf. §.36,1, et quae Lenz. ad similem locum U.55,4. in App. Cr. pg.20. attulit. Sed ut fatear, nondum mihi liquet de hoc loco difficili. —

3) Iam vero de l. य in vocales soluta, et contracta videamus, quod genus mutationis saepissime solet de semivocalibus adhiberi. Attinet inter singulos multosque et varios locos accurate distinguere. —

A. Primum, ubi vocales antecedunt et sequuntur, imprimis अ: अय, ibi य् interdum omitti, supra in initio hui. §. indicavimus: जअदु etc. Omnes tres voc., dissolutae, अ-इ-अ vix inveniuntur, nisi

a) ex Skt. 122,2. formam आणेअ pro आनय huc trahere vis: quae ita orta videtur, ut primum अ (in syll. न) cum इ (ex य) in diphth. ए coaluerit, alterum autem अ (ex य) quum in fine verbi locum haberet, servatum sit: ânaja pro ânaja. An haec quoque forma ad skr. formam gunatam ने revocanda est, cuius di. ए non dissolvitur, licet voc. अ accedat (= ânê + a)? — Multo tamen saepius

b) in mediis verbis अय् eodem modo solet in ए contrahi, alterum autem अ, quod sequitur, eiici: id quod in Verbis Cl. decimae et causal., nisi य् eiicitur, satis constanter fit: cf. cum exe. जअदु sub no. I. allato, alteram formam, hau.' inusitatam जेदु: Rtn. 9,6. 87,1. 91,2. Item कामेदि pro कामयते U.46,13. सूएदि pro सूचयति, कधेहि pro कथय Urv. 53,11. cf. Skt. 101,l.1. 125,4. 133,4. 135,4.

B. Tum, ubi consonantes antecedunt, nullâ alia vocali

praeditae quam quae inest (इ) in semivoc. य adiectâ, fieri potuit, ut sem. य in ambas voc. इ et अ dissolveretur.

a) quae ambae saepenumero admittuntur, dissolutae: cfr. उद्दिसिअ Sk. 54, 3. pro उद्दिश्य; पेक्खिअ pro प्रेक्ष्य ib. 17, 3.; et उत्तम्मिअ pro उत्तम्य ib. 53, 2; in quibus formis lenissimam invenio mutationem, qua a skr. vix differunt pronunciatione: uttam-ya et uttam-ia͡. Duplex म्म non necessarium est, sed in scriptura positum videtur; attamen demonstrat, „uttam-ia" pronunciatum esse; ita ut syllaba „tam" licet aperta fieri *videatur,* longa retineatur: non: utta-mia, uddi-sia. De vocalis इ productione saepe admissa non certum aliquid statui potest. In uno eodemque exemplo modo brevis voc. इ, modo longa ई reperitur: Velut अच्चरिअं pro आश्चर्यम् Rtn. 28, 3. 29, 1. et अच्चरीअं U. 7, 19. Rtn. 44, 4. Sk. 13, 2. Item in Pass. III. ps. Sgl.: वन्दीअदि U. 28, 5. pro वन्द्यते· खाईअदि p. खाद्यते ib. 50, 1. — विसमीअदि 82, 14; et sic fere semper in syll. antepaenult. in quam tonus recessit: quare si longa erat in skr., in prkr. इ solet produci, si इ in syll. illam recedit. Incipiunt enim इअ in duas syllabas magis separatas abire: ईअ. Nonnunquam factum esse videtur, ut

b) pro य् et sequ. voc. अ vel आ una diphthongus ए reperiatur, in quam य s. इ + अ videntur coaluisse. Quum autem nulla voc. अ antecedat, e contrario sequatur — in य vel या —, hôc loco non tam contractio adest, quam potius statuendum, voc. इ seu semiv. य् hanc vim in sequ. अ exercuisse, eiusque sonum in diphth. ए mutasse. Certissimam huius rei analogiam praebet lingua zendica. cf. quae Bopp Vgl. I. §. 42. disputavit. Quod nescio an item in prâkritis verbis inveniatur: fortasse मणेशि Mri. 329. no. 3. pro मन्यसे huc pertinet, nisi priorem formam fuisse मणासि (ण = न्य) statuere mavis, cuius voc. अ postea demum in ए mutata sit. — Praeterea equidem hoc modo explicaverim genit. से pro अस्य cf. §. 168., et eos casus ex subst. decl., ubi pro syllabis या, यास् et अया,

आयास् etc. in prâkr. reperitur ईए et आए, cf. formas velut सहीए U. 54, 2. 15, 6; सिवाए etc. quae quatuor vel quinque sanskritis formis recte arbitror respondent.

Nota I. Aliud exempl. est Urv. 27, 3. वाधेअमाणा pro वाध्यमाना, in quo contraria ratione अ sequ. videtur effecisse, ut इ antec. fieret ए: nam si dissolvitur, fit वाधिअमाणा. Num = वाधय-, êa = aja? —

In formis quibusdam pronominalibus voc. अ cum antecedenti voc. इ videtur contrahi, य् eiecto: sic केत्तिअं et एत्तिअं, quae formae difficillimae fortasse pro कियत्, इयत् etc. possunt accipi; cf. tamen de his pronom. cp. VIII. §. 172. not. — Ubi य dissolvitur, videtur hic illic semivoc. व interponi. Itaque U. 8, 6. 50, 2. पिवीअदि et पीवीअदि per पीयते explicantur, quod Prabô. 28, l. 15. recte in पिज्जए mutatum est; et Prabô. 28, lin. ult.: खेद्यते per खविज्जदि, miro modo: nam si illae skr. formae dissolvuntur, fiunt: pî-îa-te et kha-idyate: ita ut prkr. formae lit. व inter duas vocal. î-î, et a-i insertam habere videantur. Prior form. potest fortasse ad skr. पिव् (pro पा) referri, sicuti Mri. p. 151. lin. 15: पिविअ legitur pro पीत्वा; quid autem de altera statuendum sit, nescio prorsus; videtur tamen falso explicatum esse.

§. 55. Semivoc. lingualis र.

Cf. §. 26. de voc. ऋ. Hoc loco restat, ut pauca de cons. र addantur. Quae quidem litera ubi per sese sola et nulli conson. adiecta ponitur, in prâkr. satis constanter locum suum obtinuit. Itaque in initio verborum: ut राआ Ratn. 18, 3. cf. Sak. 37, 1; रण्णो U. 28, 4. Genit. pro राज्ञस्; et in medio, in Comp. suff. दर pro तर cf. U. 27, 10. 26, 6; sicuti vix unquam e medio duarum vocalium eiectum est. Quare, quod alia quoque ex causa potest coniici, Skt. p. 3. lin. 1. prkr. सदअं minime per सत्वरम् in comm. debebat explicari, et Chézy ipse in adnot. pg. 172. dubitat, quin vera viderit; सदअं autem ex multis verbis eodem iure fieri potuit, velut ex शातकम्,

सततम्, सद्यम् aliis, quare non certo potest res diiudicari; de sensu tamen verborum extremum videtur probandum. —

Finalis lit. र् nunquam fertur in prâkr., neque in compositis, nisi vocales in skr. sequuntur: अन्तरिदा U. 43,8, vel in prâkr. inseruntur: ib. 41,12: अन्तरहिद् pro अन्तर्हित, etc. cf. cp. IV. §. 76. et 54. no. 4. — Praeterea exe. gr. पुनर् et in पुण s. उण transiit U. 14,10. 20,1. 15,14. 36,3. ante भ, प, अ, ल etc.; et in पुणो U. 9, 14. 88,5. etc. fere semper, ubi वि sequitur; ita ut nulla certa ratio possit cognosci, seu in sanskr. पुनः seu पुनस्, seu पुनर् dicitur.

II. non raro immutatur र्, ita ut

1) in lingualem ड transeat;

quod haud miramur, quum lit. र् lingualibus maxime cognata videatur cf. Bopp §. 21. 29. Sic in praep. पडि pro परि cf. U. 6,4: पडु- pro पर्यु-, par-i-u, voc. इ omissa. cf. Mri. 319, lin. 4. 5. Sk. 61, 1. 77,3, quare praep. प्रति, cf. §. 46, 1, *a*, non amplius differt; quod Lenz. not. XX. indicavit. Sed suo quaeque more mutata est. Alia praeterea huc pertinent; non vero U. 33,5. पाउस, de quo vide §. 57. extr.

2) Transitur lit. र् in ल,

qui ne in skr. quidem inauditus est — cf. Bopp Vgl. §. 20; min. p. 322. Pott. pg. 117, *a*. — in prâkr. paullo frequentior est; sed, ut videtur, in certis dialectis, ideoque in iis potissimum locis, quorum sermo differt paullulum a vulgari prâkr. Itaque परि fit पलि Mri. 67,1. U. 15,15. 32,1. 81,1. et in aliis et multis verbis. Sk. 25,5. 59,2. 83, lin. 1. 93,2. 110-115. 155,6. Prabô. act. II. pg. 28 sqq. 47 sqq. etc.; nunquam ni fallor in Ratnâv. —

3) Lit. र् fit Anusvara.

Infra, ubi de assimilat. sermo erit, videbimus, lit. र्, si cum aliis conson. coniungitur, plerumque in aliam quamvis conson. abiisse, nunquam vero sui ipsius aliam reddidisse similem. Sic ubi ग् vel

स् antecedunt, nonnunquam, ubi श sequitur: -र्श fit स्स. Alias र् omittitur, interdum in ipsa Skr. cf. Pott l. l. p. 118; alias vocales inseruntur, §. 76 sqq., ex quo intelligi potest, harum literarum concursum diligenter esse evitatum; et profecto -र्श paullo difficilius est, accurate pronunciatu, quam ut homines prâkrite loquentes sonos र् et श hoc modo coniunctos recte potuissent distinguere. Itaque licet र् non evanuerit, tamen pro negligenti pronunciatione in sonum aliquem crassum minusque distinctum abiit, in Anusv., cognatum haud dubie; quod satis constanter factum esse doceri potest in radice prâkrita दंस् pro दृश् s. दर्श्: cf. दंसण U. 17, 2; दंशी pro दर्शी ib. 20, 2. et in omnibus verbis et formis ab illa radice ductis, et in omnibus dramatis: cf. Sak. 48, 3. 60, 2. 71, 2. Prabô. 39. 54. Rtn. 14, 1. Mâl. M. 26, 3. 27, 1. 98, 12. Utt. C′. 48, 3. 45, 3. 46, 1. Mudrâr. pg. 28, 1. 80, 1. Mri. 46, 2. 175, 4. etc. Alia vox, cuius र् ante श eodem prorsus modo immutatur, est स्पर्श, attamen non ita constanter: quinquies, ut video, Uttar. C′. 61, 1. 62, 2. 104, 1. फंसेण. Prabô. 58. lin. 8. फंस et Mâl. Mdh. 98. lin. 9. सरीरप्फंसो. — Praeterea स्पर्श fit फस्स U. 53, 3; et फलस Prabô. 58. lin. 1. cf. §. 76. 107. — Similiter Anusv. reperitur ante त, semel Mri. pg. 3. l. 7. परिभ्रंतण pro वर्त्तन; etiam, si locum Urv. 61, 15. qualis in Lenz. App. br. pg. 22. cod. D legitur, huc trahere vis, ante sequ. lit. ह in voce वांहिण pro वर्हिण, cuius altera forma est वरहिण.

4) Syllaba अर् fit ए interdum, eodem haud dubie modo, quo supra voc. ऋ in ए transire docuimus (pro ar §. 26.). Sic in verbis compos. ubi ऋ cum anteced. voc. अ in अर् s. अर् transierat, velut in omnibus casibus, quicunque inveniuntur verbi राजर्षिस्, quod semper fit राएसी U. 4, 14 et 18. cf. 8, 10. 5, 6. 20, 15. 41, 10. et sexcenties. Conson. ज् eiecta est, sec. §. 42.; et voc. अ cum र् in ए coaluit. Item in महेसी Sk. 69, 5. pro महर्षिस्. Potuisses etiam statuere, hanc diphth. ए non ex अ + र्, sed ex अ + इ ortam esse, quoniam ऋषि per

se solum fit इसि cf. §. 26, A, 2. Id quod ad unum fere redit: nam mahars'i non aliter sonuit, arbitror, quam maha-ris'i, seu r seu i magis accuratiusque voce distinctum sit. Attamen non dubito quin ipsum र् post vocalem in इ potuerit abire: ut in अन्तर्- licet र् ante प (cfr. अन्तःपुरम्) in Visargam mutaretur, Bopp 72. *a* et *d*., tamen in prkr. quum प् omitteretur, necesse videtur, ut र् servaretur; sed in ipsa hac voce अर् fit ए: itaque अन्ते-उर pro अन्तर् + उर cf. Sak. 67, 3. 135, 4. et in tribus aliis locis ni fallor dram. Ratn. — Exempla, in quibus lit. र, in prâkr. voc. circumdata retinetur cf. h. §. n. 1. adde Utt. 125, 1. —

Nota. Alia exempla, quae non intelliguntur, nisi literarum metathesin statuas, cf. cap. IV. §. 80.

§. *56*. Semivoc. dental. ल

quae in zendica lingua nusquam, cf. Bopp Vgl. §. 45. in persica certe non saepe et ubi invenitur, tum ex semiticis radicibus, tum ex skr. dentali s. ling. orta est, — in prâkrita semper fere retinetur, ubi in skr. erat: cf. दले, -लेहा, लेबादो pro तले, -लेखा, लेपात् U. 3, 3, 7, 11. 33, 12, 17. 75, 22: लए pro लते. Sk. 58, 2; et vix unquam omittitur; nam in क्खु pro खलु et similibus exemplis consultius videtur, assimilationem statuere. De lit. ल prâkr. ex aliis lit. oriente cf. §. 44, 2; 46, 1, *b*; *55* etc.

II. Rarissime immutatur lit. ल,

et si recte memini, nonnisi ita, ut

1) hic illic in dental. vel lingual. videatur abiisse: cf. Ratn. *92*, 1 et 100, 2, ubi खेलन fit खेडण; tum vero ita, ut

2) sicut र्, in Anusv. s. म् mutata sit, in una certe radice जल्प्, velut जम्पिदुं Mri. 70, 2, et ib. 80, 6. जम्पसि pro जल्पसि cf. §. 101.

§. 57. Semivocalis व,

num labiali potius quam dentali natura fruatur, ambigit Bopp. §. 21. Attamen Prâkr. priorem magis videtur probare.

I. Servatur, non mutata, satis saepe in initio: वा U. 3, 3. 30, 2. वसदि 40, 12. cf. ib. 10; et in mediis verbis कुवेर, दाणवेण U. 3, 11; भवामि, cuius altera forma होमि frequentior est, nonnunquam retinetur: U. 32, 13. 75, 22. Sak. 76, 2. 126, 2. Attamen nonnunquam eiicitur: U. 3, 11. णिअत्त-, id. U. 15, 6. pro निवर्त- Mri. 3. l. 7; णअ pro नव Sk. 25, 5; पिअन्ति Mri. 215, 3. etc.

Nota. Lit. व videtur inserta esse Mri. 72. l. 11. pro व omissa, vel cum व permutari, in voce दुयालक pro द्वारक, quae alibi दुआर, interdum दुवार (s. दुआल) fit. §. 78. etc. cf. B. Vgl. §. 43.

II. Semivoc. व dissolvitur

A. ubi voc. अ vel आ antecedunt: quare syllabae अव, quarum अ s. आ final. plerumque omittuntur, fiunt ओ = अ + उ. cf. §. 34. I. Itaque praep. अव fit ओ: Sk. 64, 3. 114, 4. ग्रल्लादो ओदालिअ recte pro ग्रल्लादवतार्य; Rtn. 37, 4. णव fit णो: Sk. 8, 2. 12, 1. 14, 4. Rtn. 13, 1. 21, 1. 29, 3. Mri. 208, 4. Praeterea cf. form. rad. भू: pro भव् saepenumero भो- et हो- dicitur: होमि, होदव्वं, भोदुं, (sed भइदुं Sk. 71, 2.) etc. cf. Sak. 118, 1. Urv. 26, 14. 38, 10. Mri. 95, 5. etc.

Nota. Hôc modo in linguis cognatis, in latina imprimis et graeca, multae voc. o possunt explicari, arbitror. Sic, ut pauca ex multis afferam, cf. odisse et ὀδύσασθαι cum अव + द्विष्, quae rad. nescio quomodo in prâkr. mutata sit, sed fieri potuit et दुस् (cf. gr. δυς) et दिस् (cf. lat. dis). Nam „odisse" mihi et de notione et de origine Inf. Praesentis est, et iniuria cum goth. rad. hat (hassen) a Pott. Et. F. pg. 141. videtur comparari. — Praeterea cfr. ὀδόντες, ὄνομα, ὄνυξ, ὀφρύς; opiter, onyx, opalus et verba cum praef. o (ab?) composita; neque iis assentior, qui dicunt, Graecam ling. verbis, proprie inde a conson. aliqua incipientibus, vocalem o saepe *praefigere*.

B. ubi conson. antecedunt, in mediis verbis plerumque assimilatio adhibetur; attamen satis saepe

1) व् dissolvitur in उ et voc. उ cum vocali skr. व् adiectâ servatur; ut in compositis. cf. §. 33, 2. Sak. 95, 1. धेणुअग्गि pro धेणव- etc. tum in termin. gerund. in त्वा, quae fit दुअ: गदुअ pro गत्वा; तुअरिअं pro त्वरितम् cf. Ratn. 19, 1. दुआर et दुआल pro द्वार saepe: Mri. 72, 3. 73, 3. etc.

2) una earum eiicitur: aut

a) voc. sequ., et व् tanquam उ cum anteced. cons. coniungitur; velut दुवे्रो U. 17, 6. 3, 12. 8, 9. तुमं pro त्वम् U. 8, 7. परमेसुरो pro -ईश्वरो Prabô. 14; rad. स्वप् fit सुव् Prabô. 60, 15. etc. etc.; aut

b) व् s. उ eiicitur et lit. cons. antecedens cum sequ. vocali coniungitur. Ut तत्तो pro त्वत्तो S. 8, 2. सअं ib. 71, 3. pro स्वयम् cf. 53, 1. सेच्छा- pro स्वे- U. 79, 3.

3) Iam vero restant loci aliquot, in quibus, licet nulla vocalis, neque अ, neque alia, antecedat, tamen व in ओ transiit; — itaque व् in sequ. अ eandem vim videtur exercuisse (ô = va), quam य ubi in ए transiit §. 54. — Sic semper सोत्थि dicitur pro स्वस्ति U. 14, 1. 25, 12. etc.; eodem modo in Imper. forma II. ps. Prb. 45, 3. पेक्खस्सो pro -स्व: प्रेक्षस्व (सु-अ) invenitur; quod alibi semper स्स fit.

Nota I. cf. latinum o in sop- cum स्वप्; soror etc. Pott Et. Forschg. 126, *a*, qui tamen non ava = ô comparare debebat, ubi अ antecedit et contrahitur cum व् s. उ.

Nota II. Alias mutationes non subire videtur lit. व. — In ling. zendica cf. Bopp Vgl. I. §. 50. व post ग् semper, in persica nonnunquam in fortiorem labialem प transiit. Quae tamen permutatio a prâkr. indole ita videtur esse aliena, ut in dramatis nullus certus locus inveniri possit. Nam locum Urv. 33, 5. पाउसणादी ne quis sumat et meae sententiae (cf. §. 46, 5.) repugnare iudicet, quippe qui in commentario skr. per वर्ष-नदी explicetur: „pluviae fluvius"; nimirum falso explicatur; neque opus est, ut ad Lenzii

Appar. critic. pg. 17. refugiamus, ubi B. D. पाउसणदो habent = प्रावृषनदो quae tamen lectio vix probanda est; पाउस autem non dubitari potest, quin ex skr. पाथस् (= aquae fluvius) ortum sit, quae vox quum in conson. स् exeat, vocalem ऋ assumit in compositione, more in Prâkr. haud inaudito. Praeterea वर्ष, licet वरस, वस्स etc. fieri potuisset, fieri solet वरिस, inserta voc. इ, quae forma invenitur Mudrâr. 15, lin. 11; sed nunquam वारिस §. 79.

VII. *De Sibilantibus.*

§. 58. Sibil. palat. श

e prâkr. fere evanuit, iis locis exceptis qui alii nescio cuinam dialecto accensendi videntur, et saepe in Mri. occurrunt; cf. Sak. 110-116. Praeterea in *vulgari* prâkrita nonnisi rarissime lit. श retinetur, et fere nunquam in Sak.; ni fallor, semel totâ Urv. 15, 1. cui tamen loco Lz. App. Cr. pg. 11. ex cod. D. alteram lectionem दंसणेण addidit; et semel Rtn. 8, 2. cf. Mâl. M. 138, 1. etc. — His exceptis,

श semper in dental. स abiit,

ut सक्कणोमि (pro शक्नोमि) U. 11, 2. 13, 3. etc.

Nota. In singulis quibusdam locis lit. श in sonum aliquem palat. mutata videtur, veluti Sak. 29, 2. ऋच्छु- pro ऋश्रु, siquidem recte hôc verbo explicatur. Attamen nunquam sola lit. श, ut videtur.

§. 59. Sibil. lingual. ष Aspir.,

sicut ceterae aspiratae, paullo constantior est, quam ut prorsus omittatur. Quare pro भीम्रण U. 27, 10. (= भीषण) altera lectio, quam App. cr. pg. 15. omnes libri Mss. habent: भीसण in textum recipienda erit; ष raro tantum retinetur, velut Sk. 37, 3. इषि pro usitatiore forma इसि.

II. Plerumque autem lit. ष mutatur, ita, ut

1) in स abire soleat, sicut श: विसेस U. 3, 9. pro वि-

ष्णेप cfr. 4, 14. 20, 18; semper in Loc. Pl. 1. तेसु 35, 6. et ubicunque locum habet in skr., lege illa euphonica neglecta, quae स in ष mutari iubet.

2) in ष्ण in iis praecipue locis, in quibus ष्ण ipsum solet servari: § 58. Ut Mri. 20, l. 5. भ्रूष्णाण Sk. 113, 3.7. दृष्णे pro दृषस् etc., nisi his in locis ad ipsas prâkr. formas usitatiores दृसो, भ्रूसाण etc. recedere mavis. Accidit nimirum saepissime ut eae quoque formae, quae in prâkr. demum ortae sunt, ac si tales a skr. traditae essent, in prkr. denuo immutentur, cf. §. 60, 2. Itaque

3) ii quoque loci possunt accipi, in quibus lit. ष, praecipue ubi cum nasali coniuncta est, in asp. ह mutatur: cf. §. 60, 1. Ut Skt. 27. lin. 4. उण्ह pro उष्ण id. 72, 2; Prabô. तिण्ह pro तृष्ण, विण्हू pro विष्णु cf. 63. 64. 65. 66. Et बाष्प fit बाह, quo in verbo dubium est, unde ह natum sit. cf. §. 101. —

Nota. Lit. surd. asp. pal. छ, quae nescio num saepius quam in initio verbi छ pro ष inveniatur (§. 150. VI.), mirum in modum videtur Boppii sententiam de numer. षष् prolatam stabilire, de qua loco l. videbimus. —

§. 60. Sibil. dental. स

I. in prâkr. constanter servata est, ubi in skr. erat, ut सो, सा etc.; et ita saepe, ut vix opus sit exempla afferre. Quare quum praeterea ex aliis lit. oriatur, velut ex श, ष; aliasque saepius fortasse sibi, quam sese aliis similem reddiderit (cf. cp. IV. §. 107.) non miramur, quod in prâkr. frequentior est, quam in skr. Nam eiicitur aut nunquam aut raro e mediis certe verbis; in fine autem ubi prâkr. nullam prorsus consonantem ferendam iudicavit, literam स् tum ita ut nullum vestigium relictum sit, evanescere sinit, tum aliis modis evitavit, quos Skr. quoque interdum adhibuit. Itaque in Nom. pl. msc. eiicitur, in Instr. Plur. etc. — Iam vero quaeritur,

II. Quasnam mutationes subierit?

1) स fit ह,

quod genus mutationis, quamquam in Prâkrita nondum ita frequens et usitatum est, quam in zend. ling., in qua quodvis ह ex skr. स ortum esse docuit Bopp Vgl. I. §. 53, coeptum quidem est magis magisque divulgari. Sed ubinam in ह abiit?

a) ubi inter vocales locum habet, rarissime quidem. Lass. et B. essai pg. 165. med. habent haec „divaho ou diaho = skr. divasah. Pali: divaso." Et profecto eadem haec vox, quae Skt. 111, 8, sicuti hôc loco mos est, दिअशं, et Mri. 132, 2. दिवसस्स fit, in nostris quoque dramatis saepius ह habet: ut Sk. 103, 2: दिअहे idem Mri. 267, 2. Mudr. 97, 6; et दिअहे Uttar. 76, 2. Mâl. M. 53, l. 1. etc. Tum in terminat. Futur. auxil. -हिमि pro -स्यामि et Genitivi in आह pro अस्य etc.

b) praesertim ubi lit. स cum sequ. nasali coniungitur, s. म s. ण: ut अम्हि et म्हि, गच्छम्ह, अम्हाणं, विम्हिद pro विस्मित: cf. U. 4, 15. 6, 19. 30, 15. 29, 3. 61, 13. Sk. 154, 2. etc. tum ह्नाण pro स्नान U. 33, 17. et Mri. 175. l. 2. ह्नाण ab eadem radice स्ना, quae alibi, quum literae स्न mirum in modum permutentur et voc. insertâ disiungantur, fieri solet णहा et णाहा: cf. Mri. 53, l. 4-5. णाहा-दा pro स्ना-ता; णहा-इस्सं pro स्ना-स्यामि; et 215, 3. णहा-आ-मि pro स्ना-मि. — Item, ubi in Skr. literae श vel ष qu. v. antecedunt: Mri. 158, 7. 159, 2. 6. पह्नं pro प्रश्नं, गिम्हे pro ग्रीष्मे. cf. Sak. 51, 2. ण्हाह्ने pro ज्योत्स्नाम्. De metathesi literarum mh et nh pro hm et hn. cf. §. 81. —

Nota. Hôc vero modo fieri potuit, arbitror, ut, ubi in Skr. स invenitur, in cognatis linguis interdum gutturalis g reperiatur: nimirum स in ह, ह sueto more in g transiit: et, ni fallor, nonnulla ह in ipsa Skr. occurrunt, quae ex स proprio originem traxerunt. Iam vero conferre licet cum prâkr. forma दिअस (dias-a) latinum: dies. Iure Pott. l. l. 95. etiam germanicum dag-s huc pertinere suspicatur; sed errat ni fallor V. D., dum lat. ovo et ags. äg comparat;

nam lit. g non cum skr. v, sed cum h (ex स orta) comparari debebat: diaho (dah) dag-s.

2) स fit श

in istis quoque locis barbaris, velut Skt. 110,3. 111,2. 112,6-115. भाश्शुल pro भास्सुर, Mri. inde a pg. 17. sqq., ubi etiam स्य, स्व in श्श transeunt etc. sed nunquam in Prabô., et nunquam in Rtn. Et hic quidem transitus Magadhiae dial. proprius dicitur. cf. Lass. p. 156. Non raro ita accidit, ut श fiat स, et स: श. Ut in uno compos. verbo Mri. 69, 1: दस्शुवण्णं pro दशस्सुवर्णम् ib. 2. etc. — Ut recte dicam quod sentiam, boni isti, piscator aliique qui Sk. 110 squ. colloquuntur, pràkr. utentes, sese simulant vel student certe, paullulum elegantius, ornatius, — sanskrite loqui. Itaque quum in Skr. saepe sonus श audiretur, eundem quam saepissime adhibebant, id certe parum morati, utrum in skr. श, an स diceretur. Similia satis multa eae dialecti praebent, quae in ore populi versantur; sicuti nostrum Plattdeutsch, quod vocamus, ubi hoc modo saepe t, p, au, ei etc. pro d, b, u, e etc. nhd. usurpantur; — sciunt enim, lit. d, u, e al. saepenumero nhd. t, au, ei respondere.

3) Litera स transiit in vocales.

a) स्, nominativi signum, fit उ, et cum anteced. अ in ओ coalescit; itaque non solum ubi in skr. ओ dicitur, sed ubicunque in skr. अस् locum habere potest, in prkr. sicut in zend. fere semper ओ dicitur. cf. Nom. msc. sgl. et Ablat. I. Decl.; Advb. in तस्: इदो etc. Hanc vero explicandi rationem, quam Bopp. nobis proposuit, esse rectissimam, tum zend. edocet, tum prâkrita.

b) स fit इ, equidem non dubito; nam ubi Nom. habet ए, haec terminatio non potest explicari, nisi ita, ut स् in इ, इ cum antec. अ in ए abierit. Sunt sane quae obstare videntur, nescio an tantummodo videantur; sunt etiam, quod haud ignoro, Chézy imprimis et alii, qui formas illas pro localibus acceperunt: utrumque suo loco explicabimus et refellemus. Per sese autem eodem iure

et bono, arbitror, अस् transire potuit in ए, quo अस् in ओ, et अर् in ए. §.55.

4) De prâkr. voce इत्थिआ.

Cuius mirae formae hoc loco mentionem facimus, quod attinet ad pr. initialem इ voc., quam in skr. voce स्त्री desideramus. Neque dubium est, quin recte per स्त्री explicetur, etiamsi apud Leyden l. l. As. Res. X. pg. 284. „tri" affertur, quam vocem vix prâkritam iudico. Cf. U. 77, 12. 46, 13. 14, 10. 23, 1. ubi इत्थिआ, इत्थिअं, इत्थिए leguntur, et alios et multos locos cf. Declin. II. §. 126 sqq. Iam vero quaeritur, unde lit. इ originem traxerit? Primum si reputamus, tres cons. s t r, quae in initio huius voculae leguntur, auribus prâkrite loquentium nullo modo, neque in mediis verbis, nedum in ipso initio, ferendas visas esse; tum vero, in prkr. forma non amplius inveniri literam स्, — verisimillimum videtur, voc. इ locum ipsius स् cepisse, et ex स् natam esse. Quam sententiam non desunt qui amplectantur. Itaque omnia procederent felicissime: nam restarent त्री tri, quae usitato more in त्त seu त्थ transiissent. §. 97. Attamen si quid videam, इ nonnisi praefigitur ad concursum trium conson. evitandum, non vero ex स् ortum est, nam स्त quoque potest in त्थ mutari (§. 79 et 97.) literâ r omissa: itaque prâkr. इत्थिआ proxime ad formam इ-स्ति-का recederet, quam ponere liceat.

Nota. In promptu est certissima analogia, ex aliis, romanicis potissimum linguis petita, cf. gall. et italic. et hisp. etat. etude. ecole. esposa et isposa etc. cum latinis verbis: status. studium. schola. sponsa etc. —

5) Num स् fit Anusvara?

Paucis verbis tangere liceat Instr. formam prâkr. in हिं exeuntem, pro skr. भिस्, quae duplicem rursus admittit explicandi rationem. Aut enim हिं cum Anusv. suo ex भिस् oritur, aut syllaba हि ex भिस्, स् omissa, orta prior est, et postea demum Anusv. instru-

cta; sicut Loc. §. 68, II, *b*. Quae extrema ratio praeferenda videtur. —

Reliquum est ut quaedam adiiciamus

§. 61. De Visarga (:),

quae euphonica mutatio literarum स् et र् in skr. secundum certas leges adhibetur. cf. Bopp min. 18. 72, *a*. 100, *b*. etc. In prâkr. tamen per sese potest intelligi, Visargam in fine terminat. अस्, आस्, अर् etc. non posse admitti. In compositis autem propria स् et र् aliis consonantibus, si fieri potuit, assimilantur, aut omittuntur, sicut स् et र् ibi, ubi retinebantur in skr.: cf. दुक्खिदो pro दुःखितस् U. 33, 12. Sk. 65, 1. 82, 2. Tum दुहिओ U. 60, 4, et Sk. 70, 6. pro दुःखितो, ubi potius ऊ longum exspectamus (§. 23, 1.) sicut Mâl. M. 53, 8. pro दुःस- recte in Prâkr. legitur दूस-.

Nihilominus hic illic servatur, nescio quo iure; cf. U. 64, 18. 90, 4. अः Skt. 48, 2. दुःख Mri. 96, 1. Rtn. 65, 4.

§. 62. Sibil. guttur. ह,

ubi in skr. erat, in prkr. plerumque servatur cf. हदा, हं, सहाओ U. 6, 17. 18, 20. Sk. 111, 6. 32, 1. 65, 1. etc. et raro tantummodo eiicitur: cf. इत्तअं pro हेत्तकं Sk. 33, 1. 48, 1. U. 18, 19. in compos.; rarius etiam in initio verb. cf. U. 76, 2. इ (pro हि?). De vi aspirationis aliis lit. inhibenda cf. §. 38. 48.

II. Nescio an nunquam immutata sit lit. ह, nisi interdum palat. sonum sibi admiscuerit: velut Mri. 57. l. 3. ubi गोण per हीन explicatur, quod alibi recte ex ज्ञोण oritur. §. 85. extr.

Saepenumero factum esse vidimus, ut skr. aspiratae, imprimis भ, ध, घ etc. in solum prâkr. ह transirent. Cuius rei contraria prorsus ratio hòc loco potest animadverti, ea nimirum, ut pro skr. ह solo in prâkr. alia lit. aspirata reperiatur. Quod quamvis mirum videatur, tamen haud difficile est ad explicandum. Nam ipsa sanskrita verba nonnunquam illam iacturam fecerunt, quam prkr. saepe passam esse indicavimus: et pro aliqua aspirata solum ह relictum

est. Itaque accidit, ut aliae linguae propriam literam servaverint. Quod rarissime tamen in prâkrita fit, velut in adverbio pronominali इध, quod interpretes variis modis reddere solent: Mâl. M. 21. extr. per अत्र; Urv. 15,15. per इतस्; Sk. 64,2. per इत्थम् etc.: omnes eadem iniuria; denique saepius per इह U. 30,2. Sk. 18,4. 112, l. 1 et 3. 118,4. Mri. 136 sq. 310 etc. saepe; recte quidem per इह, quae forma satis saepe in prkr. servatur, cf. Mri. 76, lin. 2. (sed ib. 3. इध) etc. et Sak. 50,2. pro Loc. इमस्सिं (§. 167, *a.*) legitur. — Attamen non dubium est, quin hoc loco in इध propria forma (pro इह) servata sit, quae item in zendica l. reperitur. cf. Bopp Vgl. Gr. II. p. 399. Praeterea vide Lenz. pg. 176. Chéz. ad Sak. p. 248. —

Similia persica lingua habet. —

VIII. *De Nasalibus.*

§. 63. Quod attinet ad eam rationem, qua Nasales ङ ञ ण न म et Anusvâra ं adhibentur in prâkr. dialecto, tantam licet observare varietatem, tantamque inconstantiam fluctuantem atque arbitrariam, ut difficile sit, rem penitus perspicere et ad certas regulas revocare. In universum haec fere possunt statui.

§. 64. In initio verborum et cuiusvis syllabae, inter duas vocales, vix aliae reperiuntur nasales quam ण et म, et

a) म saepissime, eodemque modo, quo in sanskr. adhibetur. Quae de prâkr. huius literae usu addenda sunt, cf. §. 68.

b) ण semper adhibetur, ubi in skr. praeter म alia nasalis ante vocales locum habet, s. ण s. न. Quaeque igitur nasal., म excepto, ante voc. in ण linguale transit. Qua in re nihil refert, scire, quales literae antecedant vel sequantur; quod in ling. skr. maximi est momenti, in prk. nullius prorsus, arbitror; sicuti Dentales fiunt Ling., etiamsi nulla lit. र् antecedit. cf. Pott. l. l. pg. 175. — Exempla sint: U. 33, 1. 32, 8. 10: भोअणेण, बम्हणेण, णं, ण, अणुणाअं, णिउणिए etc.

Nota I. Hic illic dentalis न ante vocalem aliquam legitur in dramatum editionibus, velut Sak. 40,4. दिन्ने; Mri. 3. l. 2. etc. in quibus tamen locis rarissimis delendam esse censeo.

Nota II. Praeterea excipiantur necesse est formae difficillimae Urvasiae पञ्जि, मञ्जि, हञ्जि, de quibus quum longum sit, hôc loco disputare, cf. §. 151. 159.

§. 65. In mediis verbis,

ubi consonantes sequuntur, nulla vocali intermedia, interdum assimilatio adhibetur, cf. U. 80, 4. अणुरज्ज- pro रञ्ज-; plerumque tamen in prâkr. retinentur, eadem lege euphonica servata, quae in sanskr. literam nasalem ad naturam consonantis sequentis accommodare praescribit. Sic न्त, न्द, ञ्च, ङ्क, ण्ड, म्प etc. cf. exempla cp. IV. §. 72.

Nota I. Potest tamen quaevis nasalis ante aliam sui ordinis consonantem in Anusvâram mutari. Itaque non raro scribitur Anusv. pro ङ् ante Guttur. cf. U. 42, 5. संकन्तं; Mâl. M. 138, 1. शंख. U. 43, 1. असंकिख- Rtn. 22, 1. अणंग. U. 36, 5. लंघिदो etc. Tum, quod contra Giese. cfr. libr. doctiss. „Der äolische Dialect" I. pg. 85. not. docuisse volo: pro ञ् ante palat. Sak. 27, 1. -णंच. U. 38, 1. संजात. M. M. 48, 1. कुंज-. Mri. 86, 4. विंझ-. Rtn. 66, 4. ंछ etc.; ण् ante linguales constantior videtur: cf. tamen M. M. 91, l. 2. पांडु-; ib. 54. 8. पुंड-. 59, 3. 58, 3. कंठ. Mri. 199, 1; denique pro न् ante dentales saepe: असंतु- U. 42, 12. M. M. 90 extr. Mri. 136, 1; ib. 138, 1. ंध etc. Etiam pro म् ante labiales etc. U. 33, 13. संमुहे, 16, 8. संपुच्छदि etc. —

Nota II. Saepius tamen et rectius his in locis ea nasal. invenitur, quae sequ. conson. similis est, ita ut alia aliam tutatae sint. Simulatque autem vocali inserta consonantes seiunguntur, nasalis pro §. 64, *b*. fit ण. —

§. 66. In fine verborum

Anusvâra pro quavis nasali legitur, et sine ulla exceptione debet

adhiberi in prâkrita, omnibus euphonicis regulis prorsus neglectis, sive in skr. म vel न radicales inveniuntur, seu propter sequ. verbi initialem literam ipsae ortae sunt, vel in aliam nasalem transierunt. Itaque

1) lit. न् in fine verborum ubi in skr. radicalis erat, in prkr. nunquam admittitur, sed, nisi omittitur, vel alio modo mutatur, in Anusv. transit. Idem fit, ubi lit. न s. radicalis, seu inserta, in Skr. vocalibus circumdata erat, in prkr. autem eo, quod vocales eiectae sunt, vel alio modo in finem procedit: sic णं pro ननु; — आइं pro आनि etc.

2) lit. म in fin. verb. semper in Anusv. transit,

a) ibi, ubi in skr. quoque fiat necesse est, ante Sibil., lit. ह et Semivoc., excepta व. Bopp. 69, 70. cf. Urv. 30, 15: -णं ह-. 27, 3. -पदं स- 26, 6, 16. 14, 1. तं र etc. —

b) ibi, ubi in skr. Anusv. poterat admitti, saepius autem म् in eam nasalem transit, quae ordini et naturae sequentis lit. propria est. Itaque Anusv. locum cepit

pro ङ: एवं क- U. 88, 15. 36, 8. 32, 8. 30, 10. 29, 17.
pro ञ: -रं चात्रं 82, 5. 13, 12. -वं ज्ञ 38, 10. 36, 8. 21, 10.
pro न: -दं त- U. 89, 5. 40, 15. 31, 14. etc. Tum
pro ण ante linguales haud dubie eodem modo.

Nota. Ubi vocula च sequitur, rectius videtur, utrumque verbum pro uno habere, et ञ्च scribere, non ंच. Ut -रञ्च U. 55, 5. 77, 15. etc.; melius quam Sk. 27, 1. cet.

c) denique ante vocales et labiales cons., ubi Anusvâra in Skr. nullum prorsus locum habet. Bopp. 68. Itaque in prâkr. Anusv. pro म scribitur

ante vocales: -णं अ U. 88, 11; 41, 12. -रं उ 49, 15. tum
ante labiales: -मं पु 89, 10. 36, 8. णं भ 40, 6. तं ब 45, 15.

§. 67. Iam vero tria haec sequuntur,

ut quam brevissime comprehendam, quae hucusque de nasalibus disputata sunt,

I. In syllabae initio nasalis म integra servatur; praeterea solummodo nas. ण admittitur.

II. In medio verbo ante consonantes, *vicaria* Anusvâra pro quavis nasali potest admitti; et non raro adhibetur; — sed usitatius est, secundum skr. regulas euphonicas nasalem eius ordinis ponere, cui lit. consonans, quae sequitur, adnumeratur.

III. In fine verbi semper et pro quavis nasali Anusvâra adhibetur *necessaria;* neque refert quidquam, qualis sequatur consonans in initio squ. verbi.

§. 68. Accedunt quaedam de usu nasalium, quae prâkritae dialecti propriae sunt.

I. Permutantur nasales

quantum sciam, nunquam cum aliis literis; interdum tamen secum म et ण; et quidem imprimis ante ह (ex स s. ष etc. natum). cfr. Mri. 219, 2. चिलन्हि, seu pro चिरम् अस्मि (quod comm. habet) seu pro चिरंहि dictum est; et ib. 310. lin. 4., item ante ह, अन्हालिशे pro अस्मादृशो; ni fallor, etiam in terminatione त्तणं s. तुणं pro skr. त्वम् §. 112, extr. E contrario म pro ण in loco aliquo legere memini, et simili modo in loco vexatissimo U. 77, 15. अम्ह explicari posse suspicor.

Nota. Alios locos, qui videntur huc pertinere, equidem alia ratione accipiendos sentio: itaque in termin. Genit. Plur., qui in Prâkr. semper in णं exit, ipsum ण nihil habet commune cum क s. ष, quod hic illic in hisce skr. formis invenitur. Praeterea cfr. Skt. 29, 1. वाम्रामेत्त pro वाङ्मात्र; quod quì sit explicandum, doceant U. 38, 11. दिसामुहं pro दिङ्मुखम्, Rtn. 5, 1. 61, 1. दिसमु- et Mâl. M. 57. l. 3. दिहमुह cf. §. 76, et Bopp. 58.

II. Inseruntur nasales s. adduntur,

ubi in sanskrita non aderant; itaque

1) Lit. ण in formis quibusdam verbal. et pronomin. interponitur, in quarum aliis radicalis videtur, licet non item in sanskr. formis reperiatur. Velut उक्खाणिदं Uttar. 66, 4. pro उत्खातम्, et eodem modo जाणिद, quod ponere licet, a radicc. जन् et खन्, quarum partic. skr. न् rad. omiserunt. Bopp. §. 549. et similia. cf. Ratn. 34, 1. Mri. 65, 5-7. §. 190, *c*. etc. In aliis autem nasalis adulterina inseritur, de quibus alio loco plura.

2) lit. nas. म s. Anusv. interdum coniunctam videmus

a) in med. verborum cum lit. ह, ubi vocales antecedunt et sequuntur — propter frequentem et usitatam literarum ह et म coniunctionem. Quod quamquam in prâkr. non ita saepe fieri solet, tamen non fieri potest, quin statuatur omnino. Particulae imprimis et adverbia in fabulis dramaticis non raro ita confunduntur, ut alia per alia explicentur, quibus nullo modo respondeant. Ubi autem formae, ex quibus prâkritae ortae sunt, etiam nunc in skr. in usu sunt, ibi editorum est, ni fallor, has in commentarios recipere. Quo officio interpretis iusto negligentius editores functi sunt. Itaque, ut in uno exemplo consistamus, una skr. vox आश्चर्यम् in comment. invenitur pro decem pluribus prâkritis formis, quarum tribus exceptis ne una praeterea ex illa skr. forma potuit oriri. Inter quas etiam अम्हो est, et अम्मो: cf. Urv. 10, 1. 11, 7. 78, 6. Mri. 29, 1. Rtn. 72, 2; praeterea explicari solent per अहो cf. Sak. 14, 4. 60, 1. 70, 3. 84, 3. 134, 2. 156, 1. et, ni fallor ex hôc अहो, quod Prabô. 58-60. Rtn. 14, 1. 24, 4. 65, 3. servatur, ortae sunt, अम्हो quidem ita, ut म् ante ह insertum sit, अम्मो autem ita, ut prk. forma अम्हो postea per assimilationem in अम्मो transierit; licet hic illic etiam in comment. inveniantur, velut Uttar. 78, 1. अम्मो; non vero apud Wilsonem. —

Simili modo in prâkr. forma Dat. pron. तुह interdum nas. inseritur: itaque तुम्ह oritur. cf. pron. §. 161.

Nota. Comparari potest imprimis lingua zendica: cf. Bopp.

Vgl. I. §. 56. *a*. 62. Similiter in latinitate medii aevi ante gutturalem ubi auditur nasalis hic illic scribitur: ut dingnus, stangnum etc. pro dignus etc. cuius gn perperam gallico more velut ngn proferre solemus. cf. Dufr. du Cange Glossarium II. pg. 823. etc.

b) In fine verborum satis saepe Anusvâra vocalibus brevibus adiicitur, ut videtur, ad eas stabiliendas conservandasque. Ut in terminat. Instr. हिं pro भिस्, cuius स् antea omissum esse statuo. cf. §. 60, 5; et apertius in Locat. plur. सुं pro सु §. 125. Quocum Bopp. Vgl. Gr. II. pg. 293. graec. σιν et σι comparavit: quod in promptu erat.

III. Omittuntur nasales (s. Anusv.)

1) in initio verborum (म et ण) aut nunquam aut raro: nisi forte अत्ता (Wils. II. pg. 18. *b*. „a mother etc. E. अत् to go"?) cf. Mri. 113, 1. 116, 1-2. 115, 1. अत्ता, अत्ताए etc. ex मातृ, मात्रा, quod मत्ताए fieri poterat, originem traxit. Quae coniectura non ita inaudita videbitur.

2) In mediis verbis item rarissime, velut Mudr. 110, 2. सीहणादो pro सिंह- etc. alia exempla vide cp. IV. §. 86. velut लच्छी pro लक्ष्मी; cf. Sak. 83. lin. 2. मुअन्ति pro मुञ्चन्ति (rad. मुच्). Saepius autem

3) in fine verborum, cuius rei in altero libro de decl. nominum saepius mentio fiet. cf. §. 161. etc. Ut in तुज्झ pro तुभ्यम्. Tum in adverbiis दाणि pro इदानीम्, एअ pro एवम् etc.

---

§. 69. Haec hactenus de conson. simplicibus. In universum haec possunt adiici, quae ex §. 36-68. sequuntur.

I. Omnes literae, quae in skr. inveniuntur, in prâkrita *servantur*, licet aliis aliae saepius; neque ulla litera prorsus evanuit, ita ut non exemplis posset confirmari.

II. Saepissime consonantes *eiiciuntur* e medio potissimum duarum vocalium; quod quamquam sine iusta causa hôc loco admis-

sum, alio autem evitatum videtur, tamen haud eodem modo in omnes simul cadit. E contrario quo levior quaeque et debilior infirmiorque est, eo saepius omittitur, quum non possit praeterea diminui. Nam diminutio, in quam omnia irruunt, — transitus Surdarum imprimis in Sonoras — potior et prior antiquiorque videtur mutatio; in ipsa autem omissione alterum video gradum mutationis et recentiorem. Utriusque rei eadem causa est; initium literarum omissionis est earum diminutio, et diminutionis finis extremus ipsa est eiectio s. omissio. Quare quae firmiores sunt et fortiores, et quae habent quod amittant, eae diminuuntur, s. partem aliquam soni omittunt, ut ita dicam; ceteris autem nihil relictum est, nisi ut ipsae et totae eiiciantur. Attamen ut illae quoque omittantur, hoc inde nimirum factum est, quod Prâkrita non semper in formis prius et semel mutatis constitit: Itaque Tenues, simulatque in Medias diminutae sunt, denuo, sicuti ipsae Mediae, porro potuerunt eiici. — De Aspiratis autem, quae nobiliores et constantiores videbantur, sola diminutione contenta fuit. Quare nunquam paene omittuntur.

III. In fine verborum nulla lit. consonans fertur. —

IV. Quod attinet ad multas illas et varias mutationes, quas literae subierunt, omnes certe ex universa natura sonorum et literarum possunt intelligi; plurimae autem et eae imprimis, ubi lit. non tam permutantur, quam potius diminuuntur et unam alteramve partem amittunt — licet non soli prâkritae propriae sint, hôc tamen modo et tam late in nulla lingua poterant admitti, nisi in ea, quae ex sanskr. originem traxit, et cui tanta sonorum copia, ne dicam abundantia, tamque uber tamque distincta et perspicua tradita erat, quam qua sanskrita fruitur.

§. 70. Sequitur conspectus omnium mutationum, quas skr. literas in prâkr. subiisse docuimus. Quae nonnisi rarissime adhibitae sunt, iis lit. r. addimus; et quae signo * notantur, eas non ex

una et *sola* skr. cons. ortas esse statuo. „Om." significat, lit. conson. eiectas esse, s. omissas; „non" huius rei contrarium.

Skr. literae simplices in prâkr. mutatae.

Skr. gutt.	क	fit prkr.	क. ख r. ग r.	om.
» »	ख	» »	ख r. क? ह	non.
» »	ग	» »	ग. *घ et ह r.	om.
» »	घ	» »	घ r. ग? ह	non.
Skr. pal.	च	» »	च. *ठ?	om.
» »	छ	» »	छ; = श fit स	non.
» »	ज	» »	ज. non mutatur.	om.
» »	झ	» »	झ. non mutatur. *ह?	non.
Skr. ling.	ट	» »	ट r. ड. र? ल	r. om.
» »	ड	» »	ड. र? ल	non.?
» »	ठ et ढ	»	non mutantur	non.
Skr. dent.	त	» »	त r. द. ट r. ड. र? ल. ध, च? *प. ं?	om.
» »	थ	» »	थ r. ध. ठ, ढ, ड r. ह	non.
» »	द	» »	द. *ध. ज r. ड? *ढ r.	om.
» »	ध	» »	ध. द r. ह. झ r.	non.
Skr. labial.	प	» »	प. ब. व. उ r. *त. *फ? . . .	om.
» »	फ	» »	फ. non mutatur? ह?	non.
» »	ब	» »	ब. व	non.?
» »	भ	» »	भ. ब r. ह	non.
Skr. semivoc.	य	» »	य. ज. *च. इअ et ईअ. इ. ए r. .	om.
» »	र	» »	र. ड. ल. ं r. इ.	non.?
» »	ल	» »	ल. ड r. ं r.	non.
» »	व	» »	व. य? उअ. उ. ओ r..	om.
Skr. sibil.	श	» »	श r. स. *ह. *छ r.	
» »	ष	» »	ष r. स. श. *ह r. छ? r.	non.?
» »	स	» »	स. श r. ह. ज? छ r. ड. इ? ं? .	
» »	ह	» »	ह. झ? *ध r.	r. om.

Skr. nasal. म fit prkr. म. ं. ण r. . . . . r. om.?
» » न » » न r. ण. ं . . . . non.

Caput IV.

De coniunctis consonantibus s. de ea ratione, quam Prkr. iniit, ubi in Skr. plures conson. conveniunt.

§. 71. In capite quod antecedit, tertio, primum id necessarium duxi, ut explicaretur, quemadmodum singulae et solae consonantes in prâkr. immutatae essent. Nam magna quidem pars eorum quae sequuntur, vix aliter videbatur posse intelligi. Iam iam via ita praemunita ad alteram partem licet transire, ubi de coniunctis seu compositis consonantibus disputabitur. Quae res est summi profecto momenti, quum in eo potissimum dialecti et recentiores linguae a primigenuis et antiquis, ex quibus ortae sunt, differant, quod consonantes vario modo coniunctae in illis aut non amplius inveniuntur, aut nonnisi raro et denuo immutatae adhibentur. Neque aliter in Prâkrita dialecto accidit.

I. *Consonantes dissimiles coniunctae, quae in Prâkrita sicuti in Skr. retinentur.*

§. 72. — Prior lit. est nasalis; et quidem

1) ङ: altera autem est gutturalis litera:

a) ङ् c. क: ङ्क: आतङ्क: Sk. 139, 2. M. M. 51, 1. U. 3, 10.
b) ङ् c. ख: ङ्ख: सिङ्खला M. M. 58. l. 11.
c) ङ् c. ग: ङ्ग: अङ्गलोहिं Sak. 11, 1. 52, 3.
d) ङ् c. घ: ङ्घ: सङ्घट्ट M. M. 137. lin. 9.

2) ञ; ita ut sequatur palatina litera:

a) ञ् c. च: ञ्च: सिञ्चदि Sk. 14, 2. 135, 3. U. 9, 3.
b) ञ् c. ज: ञ्ज: मञ्जारो M. M. 47, 7. ib. 98, 9.
c) ञ् c. झ: ञ्झ: मिअलाञ्झणो U. 43. l. 12. Mâl. 115. l. 12.

3) ण cum sequenti linguali: hoc modo:

a) ण् c. ट: ण्ट: घण्ट Mâl. pg. 9. l. 8.

b) ण् c. ड: ण्ड: मण्डओ U. 19,9. S. 27,1. M.M. 59,2.

c) ण् c. ठ: ण्ठ: गुण्ठणं Mri. 115,1. Sk. 100,2. U. 16,16. etiam

4) न cum dentalibus saepissime coniungitur: itaque

a) न् c. त: न्त: मन्तयन्तो U. 13,13. S. 3,1. 50,6.

b) न् c. थ: न्थ: बन्थिणो U. 6,17. S. 63,1.

c) न् c. द: न्द: महेन्दस्स U. 3,10. S. 22,1. Mâl. 45,2.

d) न् c. ध: न्ध: बन्धु U. 13,10. S. 9,2. 130,3; et

e) न् c. म: न्म: मन्मह Sk. 49,3.

5) म cum labialibus compositum:

a) म् c. प: म्प: कम्पिणा U. 6,16. Sk. 23,2. म्फ Mri. 3. l. ult.

b) म् c. भ: म्भ: लम्भिदा S. 9,2. 16,3. M. 99,1. U. 4,2.

c) म् c. ब: म्ब: अम्बर U. 3,3. S. 2,4. 127,2.

d) म् c. व: म्व: पिअम्वदे S. 56,3. 14,2. U. 6,18.

§. 73. *a*) Nasalis sequitur, antecedenti consonanti adiuncta: sic inveniuntur

ञ post ज्: ज्ञ: Skt. 82,1: ज्ञादि in initio verbi.

म post स्: स्म: इमस्सिं S. 33,3. 52,2. §. 167.

म, न, ण post ह्: ह्म, ह्न, ह्ण cf. U. 6,19. 33,1. 13,13. Mri. 21,1. etc.; quae altera est scribendi ratio pro म्ह etc. §. 81.

b) Praeter illas inveniuntur hae literae coni.:

1) ग्न servatur U. 30,9. Sk. 25,4. 33,3. §. 85.

ग् c. व: ग्व: वाग्विह्वो U. 28. l. 15.

2) त् c. क: त्क: समित्कुस U. 86. l. 1.

त् c. स: त्स: उत्साह Sak. 32,1. 33,1. 77,6: वत्से

त् c. र: त्र: त्रिदस Urv. 6,17. cf. §. 60,4.

द् c. व: द्व: cf. Ratn. 8,2. §. 83,3.

3) ल् c. क: ल्क: वल्कलं Sak. 26. lin. 1.

ल् c. ह: ल्ह dubium est U. 80,7. Lenz app. cr. pg. 28.

व् c. य: व्य: व्याबारा U. 43,9. Rtn. 36,4.

§. 74. Haec fere sunt genera coniunctionis duarum consonantium dissimilium, quae in prâkr. hic illic admissa sunt, et a nobis in initio huius capitis collocantur, quia rara sunt et tanquam antiquissima ad skr. proxime recedere videntur. At cave, ne ea usitata esse credas. E contrario tantum abest, ut saepe inveniantur, ut pro exceptionibus raris habenda sint. Ceteris usitatiores eae cs. sunt, quae §. 72. enumerantur. Sed pro his etiam Anusvâram nonnunquam adhiberi, supra §. 65. docuimus. Ceterae autem nonnisi in singulis rarisque locis restant, tanquam *sanskritae* reliquiae; multoque saepius pro lege assimilationis maxime divulgatae eaedem consonantes, ubi conveniunt, in similem sonum duplicem solent abire. Eae tantummodo, in quibus lit. ह vel priorem, vel secundum locum tenet, sicuti maximam partem in prâkr. ipsa demum ortae sunt, in prâkr. etiam constanter locos suos solent obtinere. —

§. 75. Iam vero illis locis exceptis, prâkrita alias etiam consonantes coniunctas non immutavit quidem, sed si quae dissimiles in skr. convenerant, earum coniunctionem arctissimam et concursum, quippe qui auribus et voci non satis accommodatus videretur, hôc modo faciliorem pronunciatu reddere studuit, ut consonantes disiungeret, id quod tum ita effecit, ut vocales insereret, tum ita ut conson. dissimiles per metathesin disiungeret. His autem de rebus videndum erit, antequam ad assimilationem transimus: non enim fieri potest, ut omnes assimilationis loci et modi intelligantur, nisi de transpositione literarum antea disputatum sit.

Itaque quae in sanskr. multae praeterea inveniuntur

II. *Consonantes dissimiles coniunctae, in prâkr. retinentur quidem, attamen non coniunctae, sed*

A. *Vocalibus insertis disiunctae.*

§. 76. Vocalis अ inseritur inter coniunctas

1) क्‌ c. न: क्न fit कण: सक्कणोमि c. duplici क्क pro शक्नोमि U. 11,2. Sk. 47,2. sakanômi.

क्ष्‌ c. ण: क्ष्ण fit क्खण: तिक्खण pro तीक्ष्ण Prabô. 4,4.

2) त्‌ c. न: त्न fit त-द्‌ण: ल- s. रद्‌ण Sk. 110,1. 111,8. 114,5. §. 46,7: itaque रअण altera recentior forma.

द्‌ c. म: द्म fit दम: पदम pro पद्म Mri. 139. l. 6.

3) र्‌ c. ह: र्ह fit रह: वरहिण U. 61,15. Utt. 15,1. §. 55,3.

र्‌ c. श: र्श fit रस s. लस: फलस pro स्पर्श Prabô. 58,1; alias formas cf. §. 55,3. et §. 107.

4) श्‌ c. ल: श्ल fit सल: सलाहणिज्ज pro श्लाघनीय Prabô. 4,8. cf. 12,12; Rtn. 40,2. 53,3. 83,1. etc.

ष्‌ c. ण: ष्ण fit सण: कसण pro कृष्ण U. 19,9. 53,10. 72,7. Mri. 3,7. 60,1. M. M. 45. l. 1. etc.

Quibus alia nonnulla nullo negotio poteram adiungere; sed hôc loco id potissimum spectavi, ut, quae tanquam exempla exhiberem, satis essent firma atque aperta. — Alia ex horum numero et ratione esse excludenda, nemo est quin videat: velut omnia ea, quorum अ ad declinationem vel coniugationem Prâkritae propriam pertinent. Velut भमन्त-कुसुमेण pro भ्रमत्कु- Sk. 130,3; दिसामुह pro दिङ्मुख U. 58,20; वाअ-म pro वाङ्म- Skt. 29,1. et similia, quae §. 68, 1. not. allata sunt. Tum कराअदि, सुमरिदो cfr. U. 55,4. 77, 14. 89,11. a prkr. radicibus कर्‌, सुमर्‌ etc.; Prabô. 17. विहणन्ति pro विघ्नन्ति, sicuti in ipsa skr. et हन dicitur et घ्न ab una radice हन्‌. In aliis denique locis commentarii non eam habent formam, ex qua prkr. vox nata est: Ut U. 33,5. पाउस et वर्ष cf. §. 57. not. II. etc. De forma पुहवी dubitari potest, utrum ex पृथ्वी prâkrito more, an ex skr. पृथवी Wils. II. p. 551. orta sit. cfr. Urv. 59, 1. Prabô. 39,6. —

Iam vero mittamus haec et similia. Nonnunquam

§. 77. Vocalis इ inseritur inter

1) क् et ल: क्ल fit किल: किलामिश्र pro क्लान्त U. 74, 18. idem 64, 16. a rad. क्लाम्, omisso त; किलेस Mri. 132, 4.

2) च् et य: च्य fit चोय c. voc. इ producta, रेचोयमाण U. 38,10. eodem modo उ ante व. Item inter

3) र् et य: र्य fit रिय: अच्चरियं Prabô. 4. lin. 1.

र् et ष: र्ष fit रिस: Sic U. 58, 5. करिसइ pro कर्षति cf. Sk. 25, 4. 55, 4. मरिसेसि id. ib. 70, 6. 112, 1. U. 76, 15. Mâl. 58, 10; वरिस pro वर्ष Mudr. 15, 2. §. 57. extr.

र् et ह: र्ह fit रिह: अरिहदि pro अर्हति Sk. 22, 2. 23, 1. vel अलिहन्त Prabô. 51, 12. cf. Sk. 69, 4. पुआरिहे. Simili modo saepe ante terminat. verbales: cf. Sk. 128, 3. etc. §. 194. squ.

4) श् c. र: श्र fit सिर: सिरि pro श्री cf. U. 3, 10. 40, 15. adde Rtn. 5, 1. Mudr. 24, 2. सिरिणा.

श् c. ल: श्ल fit सिल: सिलोअ pro श्लोक Mud. 85, 2.

स् c. न: स्न fit सिण: सिणिद्धअं, सिणेह etc. cf. Urv. 53, 7. 56, 2. 9, 1. 14, 2. Sk. 50, 2. 52, 2. Rtn. 102, 4. Mri. 3, 8.

5) प् c. न: प्न fit विण: सिविण pro स्वप्न U. 23, 8. idem Utt. 53, 2. quae mira forma, si recte coniicio, ex prâkr. सुविण orta est (rad. सुव्), in quam स्वप्न transire debebat. Deinde उ diminuitur in इ: cf. §. 23, 2.

6) म् c. ल: म्ल fit मिल् U. 53, 10. मिलाअमाण pro म्लाय-.

§. 78. Vocalis उ inseritur inter

1) क् c. न: क्न fit कुण: semel Utt. 75, 1. सकुणोमि.

2) त् c. व: त्व fit तुव: ita ut Semivoc. व servetur: तुवराबेहि U. 32, 6. Sk. 69, 5.: rad. त्वर् fieri solet तुवर्; quare Urv. 7, 19. pro तुरवदि Lz. App. pg. 10. habet rectius तुवरदि. Causalis form. तुराबेदि (rad. तुर्?) ferri possit. —

द् c. व: द्व fit दुव: दुवे cf. U. 8, 11. Mri. 92, 1. Sk. 22, 4. Rtn. 36, 1. दुवार et c. ल Rtn. 62, 2. 63, 1. Mudr. 93, 2.

3) स् c. म: स्म fit सुम: semper in radice स्म् eiusque formis

सुमर्· सुमरेमि etc. cf. U. 11, 14. Sk. 13, 1. 15, 2. 49, 2. 59, 1. 101, 2. — Sed haec satis sint.

§. 79. His igitur in locis assimilationem evitatam esse videmus vocalibus insertis. Causa si quae subest, aperte in ipsa coniunctione dissimilium consonantium quaerenda est, quae si clara et distincta voce proferuntur, non aliter sonant, ac si vocalis brevis aliqua interposita esset. Nam ubi duae dissimiles consonantes conveniunt, quarum altera in fine syllabae prioris, altera in initio sequentis locum suum habet, — facili et commodae pronunciationi impedimentum quoddam obiicitur, quominus vox ambas simul et uno tenore proferat. Quare vox cogitur, aliquantulum in fine syllabae prioris subsistere; itaque hiatus quidam oriatur necesse est, qui, si formâ aliquâ s. signo exprimendus est, sono brevis alicuius vocalis simillimus videtur. Velut in syllabis his: m-la, s̓-ri, d-ve, pad-ma, ap-na, brevis vocalis sonat: m^e^la, s̓iri, pad^a^ma, d^u^ve, etiamsi non signis describi soleat. Ubi vero ponitur et, sicut in Prâkrita fit, profertur, ibi impedimentum illud optime devincitur, neque obstat quidquam, quominus vox celeriter ab una ad alteram literam procedat. — Huc etiam verbum इत्थिआ trahendum est, de quo vide §. 60. no. 4. — Vocalis i, quippe quae sit maxime lenis et levis, saepissime hôc modo adhibetur. Praeterea, sicut aequum est, natura literae sequentis non raro effecit, ut similis et cognatus sonus oriretur, velut अ §. 76.; et उ ante व, म etc. cf. ling. zend., quae *brevem* voc. e habet: 𐬛𐬀𐬛𐬀𐬭𐬆𐬯𐬀 pro ददर्श, quod in pr. ददरिस fieri poterat. — Attamen haec tota mutatio lenissima videtur, quum vocalium interiectio syllabarum naturam non mutaverit: etenim vocalis antecedentis syllabae semper *brevis* retinetur, quare conson. finalem non cum sequ. inserta voc., sed cum sua anteced. coniunctam fuisse verisimile est. Id quod supra indicavimus: arihadi, sakanômi.

Consonantes dissimiles in skr. coniunctae

B. *per metathesin in prâkrita mutatae sunt.*

§. 80. Literarum transpositio, quam metathesin vocamus, remedium est, quo in omnibus fere linguis usi sunt ad literarum quarundam difficilem coniunctionem evitandam. — Quod potissimum adhiberi, ubi lit. र् cum aliis consonantibus coniuncta est, satis notum est quum ex sanskrita, — cf. Bopp. min. §. 34. *b.* — tum ex zendica lingua — Bpp. Vgl. Gr. I. §. 44. etc. Similiter in Prâkr. accidit interdum, ut in iis skr. verbis, quorum prior syllaba duas habet conson. dissimiles, altera autem unam tantummodo simplicem; — in prâkr. prorsus e contrario syll. prioris lit. cons. adiecta evanuerit, in altera autem duae similes reperiantur. Sed necesse est, ut rem exemplis illustrem.

1) Ubi lit. र् consonanti primae syllabae initiali adiecta erat. Cf. locos hos: प्रणाम्य fit पण्णामिअ U. 26, 16. त्रिलोक fit तिल्लोअ U. 35, 11. (त्रीणि pali तिण्णि Lss.) et similes. — §. 73, 2, त्रि in prk. servatum; §. 77, 4. in simili loco voc. इ insertam vidimus (तिरि?); §. 83. र् eiici docebimus, et §. 101. cet., lit. र् saepius in ipso verbi initio ei cons. similem reddi, cui adiecta erat. — Haec vero ratio, quam hôc loco habemus, ab ceteris omnibus differt. Quaeritur, quem admodum sit accipienda. Antequam eae formae ortae sunt, in quibus initialis cons. sequentis syllabae duplex est, पण्ण-, तिल्ल-, fortasse pro प्र-, त्रि-: पर्णाम्य, तिर्लोक dicebatur. Testis sit persicum فر- (fer-) pro प्र skr. et similia. Iam vero facile est ad intelligendum, quî factae sint पण्ण, तिल्ल: formae nimirum, in prkr. ortae, quum istud studium, omnes diss. cons. similes reddendi, magis magisque divulgaretur, denuo immutabantur per assim., sicut दुर्ल- fit दुल्ल- et कर्ण: कण्ण. §. 105. 108. — Utut res sese habet, hoc tamen constat, istos maluisse dicere -rl-, -rn- in medio verbo, quam in initio syllabae: pr-, tr- etc. Tum

2) Ubi in secundae syll. initio र् cum aliis cons. coniuncta invenitur, ibi in prâkr. mirum sane in modum र् evanuit, antecedentis autem syllabae voc. अ s. आ in diphth. ए transiit: cf. hos locos: मात्रम् fit मेत्तं U. 85, 13. Rtn. 23, 1. 29, 3. Sk. 12, 3. 29, 1. 36, 2. 57, 4; et अत्र fit एत्थ U. 7, 19. 8, 11. 26, 1. 43, 7. 61, 16. 81, 15. Sak. 15, 2. 30, 1. 2. 57, 4. 74, 1. 7. Mudr. 98, 4. Ratn. 39, 1. 74, 5. — Aliae formae, quae inveniuntur, sunt मत्त Utt. C'. 50, 1. saepius; et Prabô. 39, 13. 42, 1. 47, 11. et अत्त U. 19, 10. 29, 13. Sk. 32, 1. seu अत्थ U. 32, 12. Rtn. (sicut तत्थ pro तत्र). Semel U. 58, 19. एह legitur, recentior haud dubie forma. Quod vero ad illas formas attinet, has quoque per metathesin literarum explicari posse statuo; ita ut skr. मात्र et अत्र primum transiissent in मार्त et अर्त. Tum vero अर् secundum §. 55, 4. in ए diphth. mutatum esse arbitror. — Aliae autem अत्त s. अत्थ et मत्त per assimilationem natae sunt, seu ex अत्र, seu ex अर्त. — Duplex त्त s. त्थ non vereor, ne meae coniecturae repugnet. Saepenumero scribitur duplex litera cons. post long. voc. et diphthong., quae sequ. syll. cons. sibi hoc modo attrahere videntur. Non negari potest, hos imprimis locos quum rationem explicandi maxime variam admittant, omnium paene difficillimos esse ad recte intelligendum. Quod suo quisque more conabitur; equidem meo, etiamsi non facillimo, tamen non prorsus arbitror improbando. —

§. 81. Liceat hic occasione data similes quosdam locos tangere, in quibus simili modo literae per metathesin videntur immutatae esse. Aliarum alias etiam mentio facta est. Cf. §. 60. etc. de lit. ह cum nasalibus coniunctae. Pro skr. ह्म et म्ह, ण्ह etc. ab editoribus tum ह्म, ह्ण etc. scribitur, tum म्ह, ण्ह. cf. Sk. 30. lin. 2. बम्हणो pro ब्राह्मणस् etc. Mihi certe is ordo praeferendus videtur, ubi ह sequitur, म autem vel ण praecedunt. Nam etiamsi non dubitaverim, quin ह in skr. ante nasales imprimis similem sonum habuerit, quam nostrum ch vel g: tamen in illis locis idem assimilandi studium invenio, quod satis constanter voluit, ut lit. aspirata,

cum alia quavis cons. coniuncta, secundum locum teneret. cfr. §. 110. E. Huc pertinet rad. स्ना, quae pr. fieri solet ण्हा s. एहा pro ह्ना, एहा? §. 60, 1, *b*. Alia nonnulla.

---

§. 82. Hucusque de iis dissimilibus in skr. coniunctis conson. disputavimus, quae in prâkr. non mutatae sunt, sed

I. retinebantur coniunctae et dissimiles, sicuti in skr.;

II. disiungebantur tantummodo, et quidem ita, ut

A. vocalis aliqua insereretur; tum ita, ut

B. per metathesin vocalis, quae in skr. ambas conson. sequebatur, in pr. in medio earum poneretur.

Iam iam ii restant loci, ubi dissim. consonantes aut non *ambae* reperiuntur, aut non tales et non *dissimiles*, quales in skr. aderant. Itaque

III. *Concursus dissimil. conson. in prâkrita hôc modo evitatur, ut*

A. *una earum eiiciatur.*

§. 83. Semivocales र य व omittuntur: §. 54. 58. cet.; eae autem consonantes, quibus illae adiectae erant, una cum vocalibus suis retinentur. Itaque

1) Semiv. र् eiicitur: velut

र् ante घ: र्घ fit ह (घ): दोह Prabô. 17. cf. §. 38, 1.

र् » द्य: र्द्य fit द्य: अद्य U. 3, 12. et semper ante duplic. cs.

र् » श: र्श fit स: पार्श्व fit पास U. 22, 11. Mud. 107, 1

र post त्: त्र fit त s. द्: मन्तयन्तो U. 13, 13. Sk. 117, 4.

र » द्: द्र fit द्: महेन्दस्स U. 3, 10.

र » प्: प्र fit प: सम्पदि Sk. 117, 7. 102, l. 3.

र » ब्: ब्र fit ब: बह्मणो U. 28, 4.

र » भ्: भ्र fit भ: संभम M. M. 119. l. 9.

र » व्: व्र fit व: वद Urv. 38, 1. pro व्रत.

र » श्: श्र fit स: cf. Prabô. 47. med. सावक.

G

Nota I. पास ubicunque invenitur, per पार्श्व reddendum est; etiam Sak. 116,1. ubi Chézy in Comm. habet पश्चात्; sed iniuria; पार्श्वपरिवर्त्तिनो legendum esse doceant praeterea U. 15,15. 81,1.

2) Semivocalis य् saepissime eiicitur: velut

य post ध्: ध्य fit ध: धाणेण Prabô. 58,18.
य » ज्: ज्य fit ज: जोण्हं Sk. 51,2. U. 94,2.
य » र्: र्य fit र s. ल: सूलो? Prab. 52. cf. Not. II.
य » व्: व्य fit व: ववसाओ U. 20,17. 53,2. S. 11,1. 74,6.
य » श्: श्य fit स: ओसाअ U. 13,11. 58,5.
य » न्: न्य fit ण: णासं U. 86,8. Prabô. 4.

Nota II. Sunt quaedam addenda de voce सूलो dubiâ. Nam haec vox, quae in comm. skr. per सूर्य explicari solet (cfr. Urv. 53,3: सूर; Mudr. 93,2. 95,2: सूले) poterat ad sanskr. verbum सूर referri, id quod Mri. pg. 219,2. (शूले) recte factum est; — cfr. Wils. p. 941, *b*. „E. षू to bring forth". Estne in ipsa skr. सूर ex सूर्य natum? a rad. सू? cfr. Pott p. 130, qui सूर्य a स्वर् ducit. Sed utut res se habet, conferri potest cum prâkr. सूलो lat. sol (sul-?), litt. sáule? Alia prkr. forma fuerit सूलिओ (सौलिओ), σαFέλιος s. σαυέλιος, ἀFέλιος. ἀέλιος, ἥλιος? σέλας, ἕλη? goth. sauïl. Aliae goth. formae sunnô et sunna videntur per assim. natae, nn = ny? num etiam ex सूर्य in pr. सुन्य, सुणो fieri poterat? De vulgari forma सुज्जो cf. §. 94.

3) Semivocalis व् eiicitur: velut

व post ज्: ज्व fit ज: जलन्त Urv. 80,9. Prabô. 2.
व » त्: त्व fit त: तत्तो Sk. 8,2. §. 162.
व » द्: द्व fit द: दालं pro द्वारं Mri. 311. lin. 2.
व » ध्: ध्व fit ध: पअत्तधं cf. Sak. 49,2. §. 187. not. VII, 1.
व » न्: न्व fit ण: अणेसामि Prabô. 46. l. 8.
व » श् s. स्: श्व fit स: पास cf. no. I. h. §.; सामिअ U. 25,5. 63,5. 80,4. 77,8. Sk. 30. l. 2. 62,3. 71,3. 130,3.
व » ह्: ह्व fit ह: जीहां pro जिह्वाम् U. 13,3. etc.

Nota III. Habemus hoc loco verbum द्वार, quod variis modis mutari solet. Primum rarissime servatum est द्वार s. द्वाल; praeterea fit vel दाल; vel दुआर s. दुआल; deinde दुवाल; et quinta denique forma est दुयाल, de qua vide §. 57, I.

§. 84. Sibilans स् ante alias cons. omittitur:

स् ante क: स्क fit ख: खन्ध Mr. 43; sed S. 114, 4. in comp. कन्धे.
स् » ख: स्ख fit ख: खलादि Sk. 129, 1. Mri. 19. l. 1.
ष् » च: ष्च fit ठ: पठिमे? Mri. 191, 2.
स् » थ: स्थ fit ठ s. थ: ठाण U. 22, 1; थिर U. 48, 1. Prab. 63. §. 96.
स् » प: स्प fit फ: U. 53, 3. -फस्स Prab. 58, 1 et 8. cf. §. 55, 3.
स् » फ: स्फ fit फ: फुट्टमाण U. 13, 3. Rtn. 63, 5. 82, 1.
श् » म: श्म fit म: मसाणा pro महाश्मशान Mâl. 9. l. 2.

Iam vero reliquum est, ut hîc videamus

§. 85. *de litera duplici* क्ष

quae raris locis, in quibus integra retinetur, exceptis: — cfr. Sak. 25. lin. 11. पच्चवेक्खण; ib. 33. lin. 15. णिम्मक्खिअं; Urv. 30, 9: दक्खिण idem Mri. 76, 1. — semper uno alterove modo mutatur, quorum nullus recte intelligitur, nisi reputamus, liter. क्ष duas amplecti literas, क् gutt. et ष् sibil. Unde triplex nimirum ratio oritur, quum

I. ambae literae क् et ष् potuerunt servari; quod tamen vix aliter fit, nisi ita, ut per assimilationem in क्ख transierint; satis constanter. cf. de assim. §. 89. extr.

II. Una tantum servatur, altera autem omittitur,

a) litera ष् omissa, — aspirata ख retinetur, nec vero क, cf. §. 87. IV. Ut: खिबित्तं pro क्षेप्तुम् U. 24, 10; खण pro क्षणम् Sak. 2, 4. 55, 3. Urv. 54, 14; खत्तिअ pro क्षत्रिय Urv. 84, 14. cf. खोर Prab. 4, 7; सङ्खो- pro संक्षो- Sak. 30. l. 2; plerumque tamen ita in initio verborum.

b) literâ क् omissa, quantum sciam nunquam lit. ष् s. स in prâkr. retinetur; sed nonnunquam reperitur litera ह, quam ex sibil. sono ष् s. स originem suam traxisse statuo: non ex ख.

Exempla, quae in dramatis legere memini, sunt fere haec: primum दाहिणा Ratn. 7,2. idem Mri. 188, 1; Kâvyapr. 63, l. 9. Tum मोहारमि, quod Skt. 26, 1. legitur, non pro मोचयामि, sed pro मोक्षयामि dici, suspicati sumus §. 40. II. Praeterea पक्ष्म Mâl. 55. l. 8. pro पक्ष्म.

Quae quidem hôc modo accipere malo, quum in linguis cognatis loco sanskr. क्ष saepenumero sibilans inveniatur. cfr. zendic.: (das'ina), dexter, δεξιός: Bopp. Vgl. Gr. I. pg. 84. et Pott. pg. 82. 85. तीक्ष्ण (prkr. तिक्खण et तिक्ख cf. §. 76, 1. Mri. 23. l. 2.) pers. تيز Wilk. pg. 283; شب, क्षपा (W. 338.); شير, क्षीर (W. 343.); पक्ष्मन्: پشم, पक्ष्म (W. 265.) etc. —

Nota I. Sunt loci aliquot prâkriti, quorum क्ष in sonum aliquem palatinum transiit; qui ad no. I. pertinere videntur, ita fortasse, ut lit. guttur. et dentalis permutatae sint: itaque oritur च्छ s. छ (= त्स) pro क्ष, sicuti त्स = छ? Sed ipsa litera स interdum hoc modo mutatur, ubi sequitur dentalis aliqua, vel labialis, vel gutturalis. Cf. Urv. 43, 16. in medio: अच्छीणं pro अक्ष्णोस् comm. (gen. plur. ab अक्षि); tum लच्छी saepenumero pro लक्ष्मी Mri. 191. extr.; पेछ pro प्रेक्ष् (saepius पेक्ख); मच्छस्स pro -मत्स्य Sk. pg. 32, 1; ibid. 116, 2. in initio verbi: छण pro क्षण; denique U. 60, 7. क्ष in sonoram aspir. झ abiit: ut झीणगई pro क्षीणगतिस्; idem Mri. 136, 3.

Nota II. Quod attinet ad locum Sak. 125, 2, quem Chézy non intellexit, equidem dubito, num म्हअणीआ ex क्षमणीआ (Hirzel. pg. 82.: verzeihlich) oriri potuerit; quod potius खमणीआ fieri debebat. Prâkritus textus sanus est, dummodo वि legatur pro बि, quâ particula Chez. ita deceptus est, ut quum वि s. बि (quae in bengal. scriptura non differebant) „अपि" interpretatus esset, totum locum non fieri posset, quin falso intelligeret. Iam vero legendum propono विम्हअणीआ, et commentarium huius loci, quem supra etiam a Chéz. falso explicatum docuimus (cf. §. 23. not. 24. not.)

hunc: सम्मोहः खलु विस्मयनीयो न पुनः प्रतिबोधः (pro Chéz. सम्मूढः --अपि नाम-- प्रतिबुद्धः). Mri. 257. l. 3. गालइस्सं (a rad. गल्) falso per चालयिष्यामि explicatur.

§. 86. Aliae praeter illas omittuntur literae.

ज् ante ञ: ज्ञ fit ण: आणाबिदा pro आज्ञप्ता U. 14, 11, 5. Prb. 3. 62. extr.

त् ante स: त्स fit स: ऊस pro उत्स Rtn. 5, 1. Sak. 139, 4. Urv. 72, 1; जोह्नं pro ज्योत्स्नाम् Sk. 51, 2. ubi त omisso, स्न fit ह्न.

द् ante व: द्व fit व: विदिआए Sk. 135. lin. 1. cf. §. 57.

म post च्: च्म fit ह्म: लह्मो U. 35, 6. Sk. 79, 3; vel लच्ह्मो U. 54, 8. cf. §. 68, III, 2; 95. Similiter

न् ante न: न्न fit ण: cf. Ratn. 15, 4: प्रद्युम्न fit पज्जुण.

ध् ante य: ध्य fit क: cf. U. 23, 3. काणस्स pro ध्यानाय, ubi dentalis sonus evanuit; quum vero aspir. ध् antecederet, य non ज, sed son. asp. क fieret necesse erat. Plena forma pro ध्य erat fortasse ज्क cf. §. 94. etc. —

§. 87. Sed hi quoque loci tanquam rarissima exempla ex ceterorum numero excipiendi sunt, ita ut, quod de plurimis quidem non dubito certo statuere, difficile sit, alios praeter illos afferre, qui a nobis enumerati sunt.

Iam vero sequuntur haec:

I. Interdum fieri potuit et fieri ita memini, ut duplex similis conson. in simplicem transierit. Quod tamen ubi in compositis fit, inde nimirum effectum est, quod prior vox sola suam conson. finalem amisit, etiam ubi sola et per sese ponitur: ut पच्चादाबा Urv. 38, 1. pro पश्चात्-त-; item ib. 72, 1. सरिताए etc. — Alios locos, in quibus in skr. conson. ad arbitrium bis poni potest, hìc non moramur. cf. Bopp. 62 et 105.

II. E duabus dissimil. conson. tum plerumque aliam eiectam esse videmus, ubi ambae in *initio* verbi convenerant, vel ubi *in mediis* verbis *longae* voc. antecedebant, quae retinebantur. Et

in initio potest illud excusari, quamquam in aliis linguis meliore cum iure, quam in Prâkrita, quae quum in fine verborum consonantes non ferret, nullo negotio priorem cons. ad finem antecedentis verbi trahere poterat. Quod non fecisse videtur. Sed, ut ambae dissimiles recte et distincte pronunciarentur, maiore opus erat diligentia atque opera, quam Prâkrite loquentes hisce in rebus adhibuisse verisimillimum est.

III. Ubi in medio verborum e duab. dissim. conson. una eiicitur, saepissime vocalem antecedentem brevem productam esse, observare licet. cf. cap. I.; ut aliis verbis utar, syllaba longa plerumque retinetur, aut positione, aut vocalibus producta. —

IV. In iis potissimum locis, ubi lit. स evanuit, altera consonans, s. media s. tenuis, in aspiratam transire solet. Id quod lit. sibilans स haud dubie effecit (item in assimilatione. cf. §. 110. not. I.) eodem prorsus modo, quo lit. ह, licet evanuerit, conson. antecedentes ण, ड nonnunquam aspiratione affecit. cf. §. 38. 48.

V. Ubicunque in sanskr. tres consonantes convenerant, unam certe eiici prorsus necessarium est. Tres enim coniunctae totâ prâkrita nunquam admittuntur. Quam sortem tum eae potissimum literae cs. passae sunt, quae ceteris sunt vel leviores vel imbeciliores, semivoc. य, र, व etc. —

§. 88. Concursus duarum dissim. conson.
non raro hôc modo evitatur, ut, si sequ. cons. sem. erat,

B. *Semivoc.* य *et* व *in vocales dissolvantur,*

qua de re §. 54. 56. pluribus disputatum est.

Iam vero necesse est, ut ad ultimam rationem considerandam accedamus, ceteris multo usitatiorem.

Duae dissimiles consonantes coniunctae

C. *per Assimilationem in duas similes consonantes transeunt.*

I. *In gutturalium ordinem transeunt:*

§. 89. Literae क assimilantur hae lit.:

ङ्‌ prcd.: ङ्क fit क्क: सक्कदं p. संस्कृतम् Mr. 92. l. 3. स् omisso.

त् prc.: त्क fit क्क: उक्कण्ठा U. 13, 10. 14, 10. M.M. 10, 4. Prb. 46, 17. Ratn. 6, 1. Sak. 22, 1. 25, 4. 76, 3. 86, l. 1. 89, 2. 110, 1. 135, 1.

त sequ.: क्त fit क्क: सक्क pro शक्तः Urv. 9, 4. cf. Sak. 135, 2. Prb. 42, 7. 50, 14. 56. Rtn. 6, 1. 11, 2. cf. §. 97. त्त.

य sq.: क्य fit क्क: सक्कं pro शक्यम् Sk. 71, 3. 152, 3.

र sq.: क्र fit क्क: अदिक्कन्त Sk. 9, 2. Rtn. 13, 1.

र् prc.: र्क fit क्क: तक्केमि pro तर्कयामि U. 5, 7. S. 8, 2.

ल् prc.: ल्क fit क्क: वक्कलेण Sak. 10, 1. Mri. 43, l. 9.

स् prc.: स्क fit क्क: तिरक्करिणी U. 43, 1. id. 22, 10.

ष् prc.: ष्क fit क्क: उक्कर Sk. 49, 5; idem U. 14, 2; rectius ष्क fit क्ख: सुक्ख pro शुष्क Mri. 92, 1. cf. siccus.

ष sq.: क्ष fit क्ख: in initio verbi क्खणो Sak. 31, 2. Rtn. 22, 1; tum in medio saepius U. 3, 2. 88, 2. cf. §. 85. —

Ubi in skr. alia conson. cum क्ष coniuncta erat, in prkr. autem solum क्ख invenitur (= क्ष); ibi aliam literam omissam esse statuerim, cf. तिक्ख pro तीक्ष्ण Mri. 23, 2. Sk. 133, 3.

§. 90. literae ख s. f.

ङ्‌ prcd.: ङ्ख fit क्ख raro, cf. M. M. 7, 3. ed. Lassen.

त् prc.: त्ख fit क्ख: उक्खण्डिद Mâl. 5, 1.

य sequ.: ख्य fit क्ख: आक्खादुं U. 45, 15. 13, 13. Rtn. 34, 1.

र् prc. s. Vis.: र्ख s. :ख fit क्ख U. 33, 12. 53, 12. 56, 1. Prab. 50, 13.

स् prc.: स्ख fit क्ख: क्खलिअं U. 35, 8, et in med. verb. Sk. 70, 3. 30, 1. Prb. 39. Semel पक्खल-? Mri. 19. l. 1.

ल sq.: ख्ल fit क्ख: क्खु pro खलु? cf. §. 18, III. 56.

§. 91. literae ग s. f.

द् prcd.: द्ग fit ग्ग: उग्गीअ pro उद्गीत U. 71, 3. S. 71, 5. 76, 4. cf. Prabô. 46, 14. Rtn. 13, 1.

न sq.: ग्न fit ग्ग: लग्गा U. 11, 9. S. 26, 1. 75, 5. 95, 1. 135, 3.

य sq.: ग्य fit ग्ग: सोहग्गं Prb. 37. cf. U. 23, 1. S. 68, 5. Mr. 8, 4.

र् prcd.: र्ग fit ग्ग: सग्ग pro स्वर्ग U. 3, 10. 15, 3. Prb. 42, 5. Mr. 137. lin. 5. गग्गरोओ·

र sequ.: ग्र fit ग्ग: पडिग्गहे S. 110, 3. 13, 7. U. 3, 12. 32, 13.

ल् prc.: ल्ग fit ग्ग: वग्गिअ U. 53, 8. 57, 13. Mri. 137, 4.

§. 92. literae घ s. f.

द् prc.: द्घ fit ग्घ: उग्घाडीअदि Prabô. 10. lin. 12.

न sq.: घ्न fit ग्घ: विग्घ pro विघ्न Sk. 20, 1. Prabô. 42, 4.

य sq.: घ्य fit ग्घ: अग्घोअअं Sk. 70, 1. 16, 4. M. M. 14, 4.

र sq.: घ्र fit ग्घ: सिग्घं U. 40, 12. (cf. Utt. 71, 2.) Sk. 49, 5; et ibid. 25, 2. longum ई servatur; denique, contra usum घ्र fit ह्घ: शिह्घ bis. Sk. 113, 4. cf. §. 90.

र् prc.: र्घ fit ग्घ: अग्घं pro अर्घम् U. 92, 1. Mâl. 117. l. 5.

II. *In palatinarum ordinem transeunt:*

§. 93. literae च similes fiunt

र् prc.: र्च fit च्च: cf. Ratnâv. 5, 1.

श् prc.: श्च: च्छ: पच्छा (s. पच्छा) pro पश्चात्, cf. Ratn. 68, 3. 69-75. Mri. 285. l. 13.

श्च fit च्च: पच्चा pro पश्चात् Urv. 26, 12. 21, 11. tum in tribus formis ex आश्चर्यम् ortis: cf. अच्चरोअं U. 7, 19. Sk. 13, 2. Mâl. 11, 5. Lss. Ratn. 17, 1. 44, 4. 65, 3. अच्चरिअं Rtn. 28, 3. 29, 1. अच्चरियं Prabô. 4. cf. §. 68, II, 2. 77, 3.

त् prc.: त्य fit च्च: secund. §. 54, II, 1. य fit ज; ubi autem cum anteced. त् coniunctum est, semper च्च: अमच्चेसुं pro अमात्येषु U. 54, 9. cf. 3, 10. 45, 15. Sk. 11, 5. 13, 6. 62, 4. Ml. 7, 2.

§. 94. literae ज (s. radicali, s. ex य ortae) s. f.

ञ् prc.: ञ्ज fit ज्ज: रज्जाअन्ता U. 80, 4; rarissime.

द् prc.: द्य fit ज्ज: अज्ज U. 5, 16. वज्जादि 5, 17. 80, 5. 26, 12. cf. Rtn. 10, 2. 11, 1, 2. 15, 1. 60, 2. Mri. 219, 2.

ध् prc.: ध्य fit ज्ज: बज्जे U. 47, 3. raro. Saepius et rectius

ध् prc.: ध्य fit ज्झ: मज्झ U. 5, 2. 36, 3. Sak. 27. lin. 2. 25, 4. Mâl. 12, 15. Lss. Rtn. 8, 1. Mri. 16, 1. —

ब् prc.: ब्ज fit ज्ज: खुज्जास्स Sk. 29, 3. cf. §. 36, 1.

भ् prc.: भ्य fit ज्झ: तुज्झ pro तुभ्यम् U. 62, 2. §. 161. *d.*

य sq.: ज्य fit ज्ज: रज्जकज्जाइं Skt. 29, 5. pro राज्यकार्याणि U. 80, 4.

र् prc.: र्ज fit ज्ज: वज्जिद् Mâl. 90, 10. U. 54, 1. 69, 10; item
र्य fit ज्ज: अज्जा pro आर्यास् U. 1, 16. 3, 2. 5, 1. Skt. 1, 1. सुज्ज pro सूर्य Mri. 222, 1. 321, l. 4. U. 13, 8. 49, 15. 54, 1. 56, 10. cf. §. 83, 2.

व sq.: ज्व fit ज्ज: उज्जल Mâl. 90, 10. Prabô. 43. extr.

स् prc.: स्य fit ज्ज? cf. §. 191. de Fut. not. I.

ह् prc.: ह्य fit ज्झ: Skt. 48, 2.: सज्झवेअणं pro सह्यवेदनम्; rarius
1) Nom. et Voc. fere semper habent आओ: cf. Sk. 3, 1. fem.: पमदाओ puellae; ib. 64, 3; 74, 6; 103, 3. pro Duali; Voc. cfr. U. 45, 16. दासिआओ. Ad quam formam in आओ explicandam statuatur necesse videtur, skr. आस् ita pronunciatum esse, ut pro origine sua tanquam आअस् (§. 20. III.) sonaret; tum extremum अस्, sicuti in Nom. sgl., in ओ transiit; prius autem आ longum servatur, quum in paenultima syllaba locum habet ante terminationem. Attinet hôc cum loco lingu. zendicam comparare: Bopp Vgl. Gr. pg. 271: hizvâo, prk. जीहाओ.

2) Etiam in fem. hic illic sola voc. आ invenitur, स् abiectô: cf. U. 21, 8; terminat. velut आआओ autem ad आकास् pertinere, apertum est. Et ubi rem urgere vis, breviorem termin. in अ habes in formis verball. velut कदम्ह (pro Duali कृते स्वस् U. 21, 8.) i. e. redditae sumus; similiter पज्जाउलम्ह (Sk. 25, 1.) i. e. perturbatae sumus.

c) *Nom. pl. gen. ntr.*

1) sanskritum suum आनि nonnisi rarissime servavit: itaque semel, ni fallor, totâ Urv. 93. lin. 9. वअणाणि legitur pro वचनानि; ubi tamen — cf. Lenz. App. crit. pg. 32. — codd. D. B. habent वअणाइं, potiorem haud dubie formam; quamquam in calcuttensibus editionibus non desunt alii loci item in आणि exeuntes.

2) Longe frequentissima ne dicam una terminatio est आइं, de qua explicanda cf. §. 122, *b*.

3) Formae Nom. g. n. in आ (omisso णि) exeuntes, inveniuntur Urv. 8, 11. दुवे पिआ etc. De aliis non certo iudicari potest, neque quidquam videtur difficilius, quam ut cognoscatur, cui generi et cui numero formae quaedam sint accensendae. Veluti una vox अक्षरम् variis modis usurpatur: Uttar. 40, 2. अक्खराइं ntr. pl.; Mri. 82, 3. -द्दवा एदे अक्खलं sgl. msc.? ib. 272, 3. एदे अक्खला msc. pl.? ib. 292, 1. id. cum वे = द्वे ntr. pl.? — Urv. 24, 17. idem cum भवे, aut msc. aut fem. sgl. — Commentariis his in locis nulla fides habenda est, quum id gen. et eum numerum ponerent, necessarium esset, quae in skr. usitata sunt. Ex verbis adiectis autem non certo coniici potest; nam दुवे etiam pro masc., et एदे fortasse pro Nom. sg. m. et pl. ntr. usurpatur.

§. 122. *Accusativus Plur.*

a) *Accus. gen. femin.*

qualis sit prâkr. terminatio, quantum meminerim, nullo certo loco possum probare. Sed non dubium est, quin, sicut Nom., in आओ

exierit; quod sequitur ex formis Accusativi plur. femin. eorum verborum, quorum them. habent इ vel ई.

b) Accus. generis neutr.

satis constanter eadem uti solet terminatione आइं, quam Nominativi plur. ntr. usitatissimam esse modo diximus; cf. Urv. 29, 6: अङ्गाइं ib. 84, 9. Skt. 2, 4. 3, 1. 15, 2. 27, 4. Rtn. 26, 9: पत्ताइं et multa praeterea. Et in his quoque locis tum Nom., tum Acc. inveniuntur, quorum termin. ut in skr., ita in Prâkr. unam eandemque esse, nemo negabit. Quaeritur autem, quomodo haec terminatio आइं sit explicanda? Cuius rei difficillimae triplicem viam patere video.

1) Primum accedit, quod in Pr. etiam Nom. gen. msc. nonnunquam habet आइं pro आन्; unde haec quaestio oritur prima, utrum genus msc. cum g. ntr. confusum, an idem suo et proprio more in आइं mutatum sit. Quod extremum ubi placet, statuendum est, आनि eodem modo in आइं abiisse, quo ipsum आन्, a quo non iam differt, dummodo इ finale abiectum esse concedas. Itaque oriantur: अङ्गाणि, अङ्गाण्, अङ्गां (§. 66, 1.) et voc. इ *adulterina* in ipsa Pr. nata sit post *longam* voc. आ cum nasali s. Anusv. coniunctam: etenim syllabam antec., quum nasali claudatur (आं = आ-णि), potest exspectari, aut corripi, aut, si longa voc. servatur, *pro ipsa productione* brevem aliquam voc. inter आ et ण् inserere, quae quodammodo auditur (cf. angân: angâin). Gravissimo argumento videntur ii loci esse, in quibus, velut Sk. 83. l. 2. अङ्गाइं tanquam dissyllabam vocem proferendam esse, a Chéz. pg. 228. ex metro probatum est; ex quo consequitur, vocalem इ levissimam non unam per sese syllabam effecisse. —

2) Iam vero accedit, quod formae quaedam in solum ए exeuntes occurrunt, de quibus item potest dubitari, utrum ex illis आइं contractae sint (अङ्गाइं, अङ्गाइ, अङ्गे), an potius antiquissimae et genuinae habendae sint, ita ut आइं recentior forma ex ipsis nata

sit (आइ = ए?) per dissolutionem; cf. spondeum अङ्गाइं, quod Chéz. recte fortasse *angên* pronunciavit. Qui hanc extremam sententiam amplectantur, omnes formas esse *neutrales* et hôc fere modo aliam ex alia profectas esse statuerint: अङ्गाणि, अङ्गेणि, अङ्गें, अङ्गे. Eâdem prorsus ratione ex एण ortum esse ए, §. 115, 2. mihi videor probasse. — Nam unde di. ए originem traxerit — in hôc autem solo differunt formae illae, ut in Instr. एण di. ए etiam adsit in sanskritâ — hâc quidem re nihil apertius est, quum voc. इ sequitur, quae antec. आ sonum immutavit (Umlaut). Similia exempla tam multa in promptu sunt, ut ea afferre supersedeamus. Qua in re id unum mirari subit, cur nulla forma velut अङ्गेणि servata sit, praesertim quum verbalia आमि, असि, अदि ad arbitrium paene in एमि, एदि etc. mutari solent.

3) Tertiam denique rationem paucis verbis tangam, hanc, ut आइं neutr. recedat ad skr. आनि, et, nasali adulterinâ eiectâ, Anusvâra instructum sit (pro आणिं), sicuti Loc. pl. etc. — Restat, ut

c) *Accus. msc. gen.*

1) in आइं exeuntis exempla afferamus. Cf. Urv. 55,15. अहोरत्ताइं pro अहोरात्रान्; Mri. 94, 3-4. पादाइं; ibid. 295, 2. विरहिदं पाणाइं explicatur: विरहितान् प्राणान् cf. Wils. s. v. प्राण. In coniuncto विरहिदं, quocum Zend. Acc. vĕhrka-n (Bopp. Vgl. Gr. p. 279.) comparaveris, primum fortasse et quod equidem sciam fere unicum vestigium Acc. veri *mascul.* pl. servatur; de neutr. formis, quae in zend. quoque pro masc. pl. usurpantur, cfr. Bopp. l. l. pg. 265. not.

2) Acc. masc. in ए exeuntes cfr. U. 45, 16. गदे चन्दवादे; Mudr. 143. l. 3. णिअप्पाणे, विहवे, कुले, कलत्तेच pro निजप्राणान्, विभवान् *et neutr.* कुलानि etc. In alio loco Ratnâv. aliam *masculinam* formam invenio, cum neutrali coniunctam: पम्हे देवा. Alia desidero. — Neque tamen Lenzii interpretatio loci

illius ex Urv. petiti elegans sane silentio praetermittenda est, licet non possim, quin eam improbem. Indicat V. D. not. pg. 187. hôc in loco *Dualem* admissam esse propter orationis ambiguitatem „ut regina simul *lunae radios,* simul *regis pedes* sibi venerandos esse exprimat"; quibus addit haec: „Nam ut e communi Prâkr. linguae regulâ plurales terminatt. dualem, ita etiam duales termin. pluralem numerum exprimere potuisse videntur." Quâ tamen in re fallitur V.D. Prâkrita enim eandem, quam aliae linguae, hanc quidem iacturam fecit, ut Dualis terminationes prorsus fere amiserit. Quare Pluralis quidem pro Duali non potuit solum adhiberi, sed adhiberetur necesse erat; attamen, quum Dualis non amplius in usu esset, quî quaeso fieri poterat, ut hic illic nihilominus pro Plurali usurparetur? Accedit, quod vel de membris corporis duplicibus nescio an nunquam Dualis sit adhibita: cf. Skt. 73, 2. हत्था; Mri. 94, 2. etc.; in quibus autem formis rarissimis Dualis invenitur, eae propter usum creberrimum et quotidianum integrae paene in Prâkr. receptae ac servatae sunt. cf. §. 149, II. 133.

§. 123. *Instrumentalis Pluralis*

a) in nominibus gener. feminini

proxime ad Skr. terminationem accedit, — आहिं pro आभिस्, cf. Urv. 80, 7. Sk. 77, 3 -भाअणाहिं p. -भाजनाभिस्, pro Duali ib. 130, 3; cf. Mri. 175, 5. 260, 1. ib. 298, 1. etc. Hôc quidem loco satis sit, hanc vulgarem formam in आहिं indicasse, ad quam explicandam vix opus est pluribus, quum ex §. 53. apertum sit, ह ex भ asp. ortam esse; Anusvâram autem non ex lit. fin. स् natam, sed literâ स् abiectâ, brevi vocali इ additam esse, suspicati sumus §. 60, 5. et §. 68, II, *b.* ubi pluribus hâc de re disputavimus. De iis formis, quarum आ in ए mutatum est, rarissimis, vide quae §. 144. VI. disputata sunt.

b) Instrum. pl. msc. gen. et ntr.

ubivis eodem -हिं utuntur, qua in re non dubium est, quin veram et antiquam formam servaverint, pro आभिस्, ex quo postea san-

skritum ऐस् ipsum contractum videtur. Ita enim Bopp. form. ऐस् explicavit, omissâ lit. भ्, quod in Prâkrita certe vix fieri potuerit. — Ipsum autem -भिस् etiam nunc in Vêdis reperitur. cf. Ros. spec. 18. Bopp. crit. add. pg. 324. — Vocalis, quae antecedit, आ, in Prâkr. sicuti in Vêdis, satis constanter in diphth. ए immutata est: cf. अश्वे-भिस् et अस्सेहिं; cuius rei causa videtur inesse in इ sequente; de Anusvâra finali cf. no. *a.*, quam sententiam confirmarent, arbitror, loci velut Mri. 221, lin. 8. तेलाघिएहि, alii, ubi Anusv. desideratur, nisi verisimilius esset, Anusv. nonnisi mendo typograph. omissam esse. — Denique si quis, quia negaret, Prâkritam ad statum illum linguae skr. verum atque antiquum recedere, ideo prkr. एहिं ex Duali ducere mallet, me certe non assentientem haberet; nam आ-भ्याम् potius in अब्भं, आहं, अहोअं? abire potuerit. Ne tamen longus fiam de forma dudum explicatâ cf. Bopp. Vgl. Gr. pg. 254.

Exempla ubivis reperiuntur: U. 16, 16. 19, 10. 20, 1. 54, 13. 86, 1; 8, 6. 25, 10. 40, 1. Skt. 2, 4. 27, 6. 94, 2. (112. l. 1. pro Duali).

Nota. Conferre licet skr. adverbia in आहि, velut उत्तराहि et alia, quae Bopp. Gr. min. pg. 319. memoravit, in quibus veterem term. Instr. Pl. relictam suspicor: हि = भिस् prâkrito more.

2) „In formis मेहङ्गे U. 72, 5; et कुसुमे 71, 2. aut termin. हिं abiecta est, aut forma Locativi sgl. etiam in plural. Instrum. irrepsit". — Sunt autem haec Lenzii verba (cf. pg. 216. f.) non probanda, arbitror. Nam quod ad primam sententiam attinet, dubito, num Prâkr. totam syllabam velut हिं abiecerit, quae praeter Anusv. nihil amittere, ideoque non paullatim potest evanescere. Itaque cum eodem V. D. aut syll. णा abiectam statuo; aut ए pertinet ad skr. term. ऐस्, quae lit. स् abiectâ, non aliter potuit mutari.

Nota. Dativ. et Abl. Plur. e Prkr. videntur prorsus evanuisse, ita ut Genit. et Instr. illorum munere fungantur.

§. 124. *Genitivus Pluralis,*

trium generum

et sine ulla, quantum memini, exceptione, utitur terminatione अं, vel आणं potius pro आनाम्, आ extremo constanter correptô, quia tonus in solam totamque syllabam paenult. recessit. cf. Skt. 27. lin. 5; ib. 47, 1: कामअमाणाणं; 131, 4. U. 78, 11. 80, 6. (pro Du.). De loco Sk. 116. lin. 7. वासिअणं cf. Chézy not. pg. 244. extr. — Alias formas non inveni. —

§. 125. *Locativus Pluralis.*

a) loc. msc. et ntr. gen.

plerumque exit in एसुं, ubi ad brevem voc. servandam Anusvâra accedit: itaque totâ fere Urv. scribitur: सलिलेसुं U. 21, 13. 54, 5, 9, 11: अमच्चेसुं; 80, 3, 6; item in Skt. cf. 8, 2. 47, 1. Mudr. 33, 1. 84, 1. 106, 2. etc. Attamen formae inveniuntur, Anusv. destitutae: rarissime in Urv. 35, 6. (Skt. 83, 3. हत्थे singl. est, ni fallor); et in Mri. semper fere एसु scribitur: 49, 1. गेहेसु. cf. 77, 5. 137. Uttar. 16, 1. 53, 2. 124, 1. Mudr. 12, 2.

b) loc. gen. femin.

eodem modo aut आसुं habet, aut आसु, Anusvâra non adiectâ, cfr. Sakt. 27. l. 3, पादबच्छायासुं; sed Mri. 220, 1. शाखासु; item Mâl. M. 46, 1. etc. Quae forma potior sit et praeferenda, non videtur posse diiudicari, nisi pro auctoritate Mss.

II. *Declinatio earum vocum, quae in aliam quamvis vocalem exeunt.*

§. 126. *Nominat. Singl.*

I. *themat. skr. in* इ *et* ई

satis constanter in prâkr. fit ई, msc. et fem., स् ubi erat in skr. semper abiectô, इ semper fere productô: cf. *Msc.*: ut राएसी pro राजर्षिस्; वई pro पतिस्: U. 4, 14, 18. 8, 10. 41, 10. 47, 15. 60, 7. Skt. 19, 5. 48, 3; — tum *femin.* ut गई s. गदी pro गतिस् U. 3, 3. 26, 1. 28, 4. 62, 1. 80, 10. Skt. 62, 2. cfr. Mri. 266, 1. भूमी etc.; item in fem. in ई: सही pro सखी U. 8, 11. 11, 4.; देवी 14, 6; 16, 5. 35, 10. Sak.

63,4. 64,1. etc. quae tamen voc. ई nonnunquam corripitur in इ, ubi vox enclit. sequitur. Femin. interdum in इआ exit: Skt. 14,3: बहिणिआ pro भगिनी; itaque terminatt. primae decl. omnibus vocibus huiusce declinationis addi possunt, haud dubie lit. क् (suffixi का etc.) omissâ, quae hic illic servatur. *Nom. fem. monos.* non invenio, nisi in una voce admodum frequenti: स्त्री (cfr. Bopp. min. §. 170.), cuius Nominat. fere semper fit: इत्थिआ Urv. 23,1. Mri. 92,3. Rtn. 22,1. Prabô. 38,5. 39,6. 62,7; vel in ipso composito आ s. अ retinetur: cf. Mri. 267. extr. Nonnisi rarissime (cf. ibid. 119,4.) इत्थी invenitur. — §. 60,4. *Nom. et Accus. ntr.* a Skr. declin. non differre iudico.

II. *thema in* ऊ *et* उ.

Nominat. in prkr. semper ऊ habet: tum in *Msc.* बन्धू cf. U. 13,10. 59,10. 85,13. 90,2. tum in *fem.* वहू Skt. 12,1. 63,4. Utt. 79,1; — etiam hîc गुरुओ pro गुरुस् Prabô. 7. Rtn. 44,1; quod ib. 59,1. in comm. recte per गुरुक explicatum est.

III. *thema in* ऋ

habet आ: *msc.* पिदा Mri. 65,4. Sk. 19,6. भट्टा Urv. 14,10. 81,17. Skt. 31,3,4. *fem.* मादा पिदा वा Sk. 125,4; धीदा U. 16,5. §. 48,2,1.

IV. Ceterorum them. in औ et ऐ etc. nulla prorsus exempla inveni, praeter Nominat. णावा pro नौस् Mri. 87. lin. 3, quae recens forma in prkr. orta est, tanquam ex Accus. pro analogia I. Decl. novum thema formaretur: quare Instr. Loc. etc. qui non inveniuntur, non dubium est, quin णावाए fuerint. Similia ubivis occurrunt in Prâkrita.

§. 127. *Accusat. Singul.*

I. *thema in* इ *et* ई

msc. habet इं: U. 20,1. समाधिं ib. 9,5. गएसिं cf. 11,2. 54,8. etc.; feminin. saepius ईं, quod tamen non raro corripitur; ut in uno eodemque verbo: सिरिं Mudr. 12,2. et सिरीं U. 93,19. pro श्रियम्; praeterea cfr. U. 8,9. 9,15. 42,7. Skt. 12,3. 64,3. ubi ईं; et U. 22,5.

58, 4. et bis 36, 7. etc. ubi इ invenitur: उव्वसिं· — स्त्रियम् fit vel इत्थिअं U. 46, 13; vel इत्थिआं Mri. 22, 1. §. 114. *b.*

Ut in prima declinatione, ita etiam hôc in loco Anusvâra nonnunquam abiicitur; cf. locos Urv. quos Lenz. l. l. commemoravit: U. 59, 1: पुहवि p. पृथ्वीम् et ib. 76, 1. णिब्भन्ती p. निर्भ्रान्तिम्, (Lz. App. 27.) ita ut contraria prorsus ratione इम् factum sit इं; et इम् : इ. Sed hic locus vix sanus est. — Cfr. Mri. 92. lin. 5. काअली cum lin. 3.

II. *thema in* उ

Accus. nonnisi in उं exeuntem invenio. cf. Urv. 85, 6. गुरुं Skt. 2, 3: उडुं pro ऋतुम्; Mri. 32, 3: शम्भुं; praeterea Skt. 41, 1. pro composito -भीरुअं, quod भिरुम् explicatur, videtur legendum esse -भीरुअं·

III. *thema in* ऋ

format semper अरं: पिदरं U. 86, 15. 87, 15. Mri. 65, 3. मादरं U. 87, 11. 94, 2. Mri. 65, 5. दुहिदरं U. 15, 5. Skt. 125, 4. —

§. 128. *Instrumentalis sgl.*

I. *thema in* इ *et* ई

a) *Mscul.* skr. suam terminationem इणा retinuit: ut U. 7, 1. राएसिणा pro राजर्षिणा· cf. 54, 14. 81, 7. Sk. 23, 2. 54, 4; neque memini aliam praeterea terminationem invenire.

b) *femin.* compluribus utitur terminationibus, quarum eam proxime ad skr. accedere sentio, quae exit in इआ, velut दिट्ठिआ pro दिष्ट्या cf. U. 9, 11. 50, 11. Sk. 49, 1. Mri. 132. l. 1. etc. ita ut या, consonanti adiectum, in इआ dissolutum sit, quod nescio num in alia etiam voce factum sit, praeter nostram, quae pro Adverb. habebatur, ut videtur, nec pro Instrum. Altera forma Instr. est enim ईए, sicut in I. declinat. आए; et simili modo vocalis इ effecit, arbitror, ut sequens आ in ए transiret, hôc tamen discrimine, ut voc. ई servetur, quum in prim. decl. ubi non conson., sed voc. आ antecedit, omittatur: cf. गदीए Sk. 69, 5. उव्वसीए U. 24, 16; 50, 11. 54, 2: सहीए etc. vocali ई plerumque producta. Attamen nonnun-

quam breve इ servatur, U.13,7. देइए, ni fallor quia syllaba antepaenultima longam voc. habet.

Fem. स्त्रिया Mri.92.lin.2. fit इत्थिआए sec. I. declin.

II. *thema in* उ

mascul. ण् insertum retinet: sicuti in sanskr. उणा: गुरुणा U.18,2. 21,7. Sk.62,2.118,4. *Feminin. et Neutr.* rarissime vel nunquam inveni; neque tamen de exitu eorum nimis ambigi potest: *ntr.* haud dubie habet उणा, sicut msc.; femin. autem ad analogiam gen. msc. ऊणा, उणा, cf. Gerund. §.196; vel sicut Gen. ऊए cfr. §.130; vel उआ: वहुआ pro वध्वा?

III. *thema in* ऋ

mscul. a Skr. paullulum discedit: cf. U.14,10. भट्टिणा pro भर्त्रा; idem Sak.115,1. Ratn.13,1. etc. tanquam a Nomin. in इ. cf. tamen ntr. skr. दातृणा, quod item in prâkr. fieri potuit दत्तिणा. *Femininum* habet: आए: मत्ताए cf. U.16,7: धीदाए, vel 13,7. दुहिदाए, secundum I. Declin. inde a Nominat. in आ. Alia forma est Skt. 164,1. दुहिदिआए, quae in barbara certe Prâkrita in धोलिआ, -आए abire potuerit, cf. धीदा; Nominat. दुहिदिका videtur esse.

§.129. *Dativus sgl.*

nonnisi in fem. gem. in इ et ई invenitur, ubi — cf. §.116.*b.* — eandem habet terminationem, quam Genit. §.130.I. et Instr. in ईए: cf. गोदमीए pro गौतम्यै Skt.21,5. Mudrâr.21,2. सिद्धोए; etiam hîc Mri.180,5: बहिणिआए pro prima decl.

§.130. *Ablativ. et Genitivus sgl.*

I. *thema in* इ *et* उ:

Mascul. in pr. habent इणो et उणो satis constanter: cf. U.88,11. गुरुणो. Ratn.89,2. Sk.115,3: शत्तुणो. Mudr.110: केदुणो; item विहिणो U.55,7. pro विधेस् cfr. 5,6. राएसिणो. 20,15.21,14.36,8. Sk.20,1.49,5. Prabô.14: रस्सिणो pro रश्मेस् etc. quas quidem formas -इणो non ad themata in इन् revocaverim, quamquam in ipso Comm. ad Sk.46,2. राजर्षिणस्, falso, legitur; e contrario इणो,

sicut उणो ad analog. skr. gen. neutr. (cf. तालुनस् etc.) formata videntur. Nam Prâkr. negligit, genera verborum tam accurate distinguere, quam Skr. solet facere, quae hâc ex causa Gen. verborum in इ desinentium variis modis कवेस्, वारिणास् formavit, licet in utrâque forma unam eandemque terminationem अस् inesse iudicaverim; item in भानोस् etc.; etenim diphth. ओ et ए, quas Bopp. Vgl. Gr. p. 218. etc. pro gunatis voc. radic. उ et इ habet et cum solâ lit. स् coniunctas esse docuit (भानो + स् ib. p. 225.), equidem ex उ vel इ fin. et अ voc. (term. अस्) non quidem contractas, sed ita conflatas censeo, ut voc. उ et इ in sequ. अ hanc vim exercuerint, quam in prâkr. apertius certe animadvertere licet, quam tamen ab ipsa skr. lingua non ita prorsus alienam esse existimaverim quam summus vir iudicat. Itaque in gen. fem. utraque forma admittitur, मतेस् et मत्यास्; quod vero solummodo नद्यास् et वध्वास् dicitur, huius rei causa fortasse in hôc posita, ut *longae voc.* ऊ, ई in semivoc. व्, य् apertius servarentur; denique in neutr. f. quum lit. ण् inserta esset, non fieri poterat, ut sequ. voc. immutarentur.

Et haec quidem hactenus de ea ratione, qua equidem *sanskritas* formas ortas esse iudicaverim. Quae sententia utrum probanda sit, an refellenda potius, iis demandatum volo, penes quos est harum rerum summum iudicium. — Iam vero ut ad *Prâkritam* revertamur, prâkritae formae generis mscul. non nimis discedere videantur a skr. — Num aliae formae inveniantur, ignoro, quamvis non dubitem quin terminatio स्स primae decl. etiam hìc aliquando in usu fuerit: काविस्स? Nam Mri. 20, 1. Genit. obscuri cuiusdam nominis विश्शावश्शुश्श (= स्य, cf. अमुष्य) legitur. §. 141.; quare nihil mirum est, quod

femin. in ऊ Genitivus in ऊए exit: cf. Uttar. C'. 76, 2. वहूए pro वध्वास्, cf. Instr. मत्ताए; neque vereor, ne haec term. ए, quae ad primam declinat. pertinet, ibique orta est, meae opinioni

(§. 115, *b*, 2.) repugnet. Aliter certe res sese habet de fem. verbb. in इ et ई, quae saepius reperiuntur: cfr. भाइणीए Ratnâv. 22, 1. pro भागिन्याम्. Urv. 14, 4.: देवीए, सहीए; cfr. 17, 5; Skt. 49, 1. णाईए pro नद्यास्. ib. 19, 6. 32, 1; Mri. 38, 1. cet. Vox त्थी habet U. 14, 10. इत्थिए (Codd. D. B. इत्थीआए quod usitatius est). In quibus f. fieri potuit, ut ipsa voc. ई, quae servata est, sequ. voc. in ए immutaverit, sicuti in pr. declinatione.

II. *thema in* ऋ

Masc. plerumque habet उणो U. 93, 9. et Mri. 183, 4. पिदुणो; U. 93, 19. भत्तुणो; 55, 3. 87, 13. 88, 2. Sk. 75, 3; quas formas ex पितृ-णृ-अस् ortas esse statuo, cf. ntr. दातृणास्; quomodo *fem.* exeant, doleo, quod nullo exemplo possum probare; sed ni fallor, sicut Instr. in आए.

§. 131. *Locativus singl.*

rarissime invenitur. Bis pro रात्रौ reperio Mri. 179, 3 et 6: रादीए, quod tamen non dubium, quin ad alteram termin. (मतौ et मत्याम्) recedat; item Prabô. 39, 6: पुहवीए pro पृथिव्याम्; भूमीए Mri. 95, 2. cet.; alias formas non reperio praeter unam anomalam Mudr. 93, 2. केदुम्मि pro केतौ, ita ut म्मि etiam cum them. in उ coniunctum videamus. §. 119, 4. Num item कविम्मि, vel कविणि dicitur? — Sakt. 27, 5, et Mri. 95, 5. रत्तिं est Accusat., licet in comm. eum per Locat. रात्रौ interpretentur. Skt. pg. 35. lin. 1. तिन्तिडिआए non ad तिन्तिड्याम्, quod comm. habet, sed ad तिन्तिडिकायाम् I. declin. — Wils. II. 376. 1. — referendum esse apertum est.

§. 132. *Vocativi singul.*

has formas invenio: उव्वसि U. 6, 16. 20, 10; सहि 11, 8. 48, 12. Sk. 14, 1. 9, 3. etc.; fem. वाश्र् pro वास्तु Mri. 17, 1; masc. कवि? cf. tamen U. 82, 5. मट्टा, cuius forma non a Nom. differt, et ibid. 61, 15, ubi पहु legitur, quod nescio an recte explicatum sit per प्रभो. —

§. 133. *Nom. et Vocat. Pluralis:*

msc. et fem. in इ et ई habent ईओ, haud dubie ea quoque verba,

quae in उ et ऊ exeunt: ऊत्रो. Cf. Skt. 58, 3: इसोत्रो id. Mri. 338, 1. pro ऋषयस्; 57, 2. Skt. 8, 1. 40, 3 देवोत्रो. 46, 1; 87, 2 सहोत्रो (pro Duali); in quibus locis etiam Vocat. invenies. — Sed exe. gr. pro प्रकृतयस्, quae forma Mudr. 24, 2. in पत्रदोत्रो mutatur, ibid. 12, 2. पइदित्रो reperitur, cum brevi voc. — Verborum in उ exempla non novi.

Forma मादापिदरे quae Skt. 156, 3. legitur, a Lenzio Adn. ad Urv. pg. 187. pro Duali habetur; iure fortasse, quum in hôc composito, quo saepe et quotidie fere utebantur, Dualis numeri formam in ए relictam esse non est quod negemus. Sed cf. §. 122.

§. 134. *Accusativus plur.*

in raris tantummodo formis videtur relictus esse; cf. Mri. 139. l. 7.: पङ्कदित्राइं pro प्रभृतीन्, sec. I. decl. — *Femin.* habet, sicuti in Nom., ईत्रो pro ईस् Skt. 77, 4: भत्रवदोत्रो. — *Ntr.* त्रस्थीनि (?) इ abiectô, fit त्रच्छिं Skt. 29, 2. cf. Chéz. pg. 185.; *Msc.* in उ, ex ऊन् nasalem abiecit, longam autem vocalem servavit: बन्धू pro बन्धून् Sk. 99, 2.

§. 135. *Instrum. pluralis*

in iis verbis, quorum them. in इ et ई exeunt, plerumque habet ईहिं; multo rarius इहिं, ut Skt. 111, 4: पङ्कदिहिं pro प्रभृतिभिस्. Praeterea cfr. Prabô. 36, 2. Mri. 10, 12. et Sak. 11, 1: त्रङ्गुलीहिं; *mascul.*: इसीहिं Sk. 67, 3. बदीहिं ib. 123, 4; *femin.*: तापसीहिं Sk. 77, 3. Utt. 72, 3; *neutr.*: त्रच्छीहिं Urv. 50, 2. त्रक्खीहिं Mri. 228, 2. 290, 3. — Verborum thematis in उ exe. sit: Uttar. 72, 1. महूहिं pro मधुभिस्. — Ex Mri. 260. lin. 3. इत्थिकाहिं intelligi potest, quomodo solum त्रा ceterarum huius vocis formarum sit accipiendum. —

§. 136. *Genitivus pluralis*

them. in इ, ई ni fallor in tribus generibus habent ईणं: cf. U. 38. extr. त्रोसधीणं; eodem modo *fem.* सहीणं Sk. 78, 1; et *fem.* in ऊ: ऊणं, cf. वहूणं pro वधूनाम् Skt. pg. 87, 1.

§. 137. *Locativus plur.*

fem. exeunt in: इसुं vel इसु: वणाराइसुं Skt. 27. lin. 3. et Utt. 16. lin. 1. -रात्तिसु; *fem.* ई retinuit ई: देवीसुं Sak. 139, 2.; item *ntr.* अच्छीसुं ib. pg. 28. lin. 3.

III. *Declinatio earum vocum, quae in consonantem aliquam desinunt.*

§. 138. Prâkritam abhorrere ab Consonantibus in fine verborum positis, saepius notavimus. Itaque exspectari potest, in declinatione nullam quidem formam reperiri, quae in conson. aliquam exeat; id quod ubique probatur. Prâkrita hâc in re quum pluribus tum eo potissimum remedio usa est, ut vocibus in consonantem desinentibus vocales अ, आ, vel suffixum aliquod in vocalem exiens, adiungeret, ipsasque voces hôc modo auctas, vel recenti exitu praeditas secundum primam ceteris multo usitatiorem declinationem flecteret. Hoc studium profecto tam late patet, ut sola etiam nudaque themata, quibus in verborum compositione utuntur, cum voc. अ, आ instructa reperiantur; cuius rei exempla saepius allata sunt. — Iam de singulis videbimus; sed doleo, quod plurales formas aut nullas aut raras tantummodo inveni. —

§. 139. *Suffixa* अत्, मत्, वत्,

quorum declinatio in skr. paullulum differt, in prâkr. prorsus eadem est, — cfr. Bopp. §. 175. squ. 185. —, quare hôc loco una comprehenduntur. Sed inter *fortes* et *debiles* casus distinguendum est.

Ex *fortibus* licet observare

I. *Accusativum sgl.* in अन्तम् integrum in Prkr. receptum esse: ut भवन्तम् Skt. 142, 3. fit भवन्तं etc., quoniam a themate in अ: भवन्त descendere videtur. Forma enim propria et fortis, quae in skr. fortibus casibus tanquam thema inest, exc. gr. तुदन्त्, quum in conson. desinat, augetur in Prâkr. vocali अ accedente, vel, si mavis, ex ipso Accus. recens thema, in अ exiens, concluditur quo-

dammodo, quod in compos. adhibetur: cf. Sak. 130, 3. -ब्भमन्तकु-सुमेण pro भ्रमत्कुसुमेन etc. Iam vero ex hâc formâ ceteri casus ducuntur. Quare

II. *Nominativus sgl.* necesse est ut in अन्तो (= अन्तस्) exeat: quae terminatio usurpatur tanquam usitatissima non solum in omnibus Particip. Praes. in अत्, sed etiam in iis verbis, quae suffixis मत् et वत् utuntur, quorum आ longum in Nominat. nunquam reperitur: cfr. आलबन्तो pro आलपन् Sk. 17, 4; देन्तो pro ददन् Mri. 93. lin. 8; ibid. 92. l. 5, 6. गाअन्तो pro गायन्; चित्तवन्तो pro चित्तवान् Sk. 85, 2. 80, 3. U. 13, 13. 22, 12. 23, 9. 42, 8. 45, 1: करन्तो; 55, 14. etc.; item महन्तो pro महान् U. 45, 11. (Bpp. §. 187.) Mâl. 5. lin. 6; saepius. Item *Nom. pl.* habet अन्ता cf. Utt. 73, 1. खेलन्ता.

§. 140. 1) Nomin. skr. in अन् s. अं in vulgari Prâkrita raro invenitur, nisi in duabus vocibus hisce:

a) भवत्: Nomin. भवं (praeclarus, dominus), qui in Prkr. non amplius longâ sua voc. आ, sed eo tantummodo differt a भवत् (qui est), quod huius verbi Nomin. भवन् secund. §. 139. plerumque in भवन्तो abiit; velut Urv. 41, 5: अणुभवन्तो. E contrario भवान् (Bopp. §. 188.) constanter fit भवं Rtn. 7, 1. 61, 1. Sk. 30, 3. etc. Id quod usui debetur frequenti, ex quo tanquam usitata appellationis formula servata est haec vox.

b) Item in verbo भअवं Nom. pro भगवान् cf. Urv. 22, 5. Rtn. 14, 2. 64, 3. Eodem modo in Vocat. Rtn. 17, 1. Sk. 70, 6. qui nescio an in aliis praeterea verbis habeat अं?

2) Nom. term. अन्तो denuo mutari potest, sicut Nom. sing. I. decl. §. 111; itaque nonnunquam exit in ए: तुदन्ते cf. Prabô. 58. — Praeterquam quod Nom. term. augetur, fieri potest, ut cum aliis simplicibus term. permutetur: quare pro तुदन् nescio an dici possit तुदे vel तुदो? pro महान्: महे? cf. Mri. 20, 1. हणुमे.

§. 141. *Debiles casus skr.*

in prkr. quia ab eodem themate in अन्त descendunt, ideo more satis usitato secundum prim. declin. solent flecti:

I. *Instrument. Sgl.* cfr. Sak. 30. lin. 1: हिम्मन्तेण pro हिन्वता; Mri. 92. lin. 3: गाअन्तेण; Urv. 61, 16: भमन्ते pro भ्रमता dub. est; sed cf. ib. 77, 5: रोअन्ते, abiectô ण.

II. *Genitiv.* Skt. 28, 3. चिन्तअन्तस्स pro चिन्तयतस्; Prabô. 52. md. अलिहन्तस्स. Uttar. महन्तस्स pro महतस्.

III. *Locat.* महन्ते Skt. 27, 6. pro महति, saepius.

IV. *Genitiv. Plur.* अलिहन्ताणं pro अर्हताम् Mudr. 97, 1.

Nota. Hôc etiam loco excipiendae sunt voces भवत् et भगवत्, quae debiles formas admittunt. Velut in Instrument. भवदा Sk. 28, 1. 33, 3; Urv. भगवदा; et in Gen. vel Abl. भवदो U. 24, 16. 16, 10. Sk. 35, 1. etc. —

§. 142. *Suffixa* अन्, मन्,

in Prâkr. rarissime occurrunt, praeter subst. राजन्, आत्मन्.

I. *Nominativ. Sgl.* राआ U. 38, 18. Skt. 37, 1. Rtn. 18, 3. et आपा Prabô. 28, 16; praeterea fere semper अप्पा — cf. §. 46, 5. — Prb. 46, 12, 15. Skt. 18, 1. Rtn. 3, 2. 13, 1. 26, 3. 49, 5. Mri. 22, 3. 153, 2. — *Neutr.* णाम pro नाम Urv. 45, 5.

II. *Accusativus Sgl.* लाआणं Mri. 264, 4; praeterea अत्ताणं Skt. 22, 4; आपाणं Prabô. 37; cf. अप्पाणं Rtn. 72, 2. Mri. 65, 7. Mudr. 102, 2; multo saepius aut: अप्पाणअं Uttar. 63, 1; aut: अत्ताणअं Sk. 13, 2. Urv. 6, 4. 24, 9. 23, 10. Rtnâv. 39, 4. 70, 4. 71, 3. 72, 1. 75, 1. 76, 2. etc.: quinque formae pro आत्मानम्, quarum duae extremae अअं sec. prim. declin. pro अकम् habent: cf. no. IX. Instr.; — *ntr.* नाम fit sec. I. decl. ntr.: णामं cf. Mri. 88, 1-2.

III. *Instrument. Sgl.* msc.: रणा pro राज्ञा Skt. 110, 3. Mri. 196, 5; अप्पाणा semel invenitur Urv. pg. 90. lin. 1., et unica forma in प्प videtur esse, quam tota Urv. fab. praebet. Semel अत्ताणएण Utt. 63, 2; *ntr.* णामेण pro नाम्ना Urv. 14, 10.

IV. *Abl. et Genitiv. Sgl.* रणो Sak. 27, 1. 50, 3; अत्तणो U. 11, 14.

47, 5. Sk. 10, 2. 13, 8. 29, 3. Mri. 310. l. 2. Rtnâv. 21, 1. 26, 3. 38. et sexies praeterea; semel अन्नणा lit. स् omissâ, Mri. 42. lin. 1; raro अप्पणो Mri. 200, 5. 201, 7; denique अन्नणाअस्स Mri. 309. lin. 10; — *ntr.* णामस्स pro नाम्नस् Rtn. 88, 2.

V. *Locativ. Sgl.* unum कम्मे Mudr. 129, 4. pro कर्मनि invenio; quasi a Nominat. prâkr. कम्मं: cf. Instr. et Gen. णामस्स.

VI. *Vocativus sgl.* राअं Skt. 29, 1. cf. Rtn. 85, 3.

VII. *Nomin. Plur.* राआणो Skt. 55, 1. ib. 112, 6: लाआणो; अुणा-आ, quod Mri. 20 extr. mirum profecto in modum per कुक्कुरास् explicatur, descendit a श्वन् (शुन्) = शुनकास् cf. Wils. शुन.

VIII. *Genit.* महाप्पाणाणं Prabô. 63. lin. ult.

IX. *Instrum.* अन्नणाकेहिं Mri. 25. lin. 4-5. tanquam Adiect., lit. क् servatâ; *neutr.* -दामेहिं Mri. 134. lin. 5. pro -दामभिस् §. 123.

§. 143. *Suffixum* इन्

I. *Nom. Sgl.* plerumque habet ई, sicuti in skr. -हारी pro -धारी Sk. 28, 6. 70, 4. Urv. 22, 2. Attamen voc. ई interdum corripitur cfr. U. 7, 12; et nonnunquam themati skr. in इन् voc. अ adiicitur: itaque Nom. desinit in इणो, sicuti Accus. in इणं: Sk. 33, 3. सुहासिणो pro सुखाशी? quem tamen locum cf. cum simili eiusdem Vidûs. oratione U. 39, 8. सुहासीणो. — Femin. habet इणी et plerumque sec. §. 126. squ. flectitur: Sk. 12, 5. 20, 1. 36, l. 1.

II. *Accusat. Sgl.* habet इणं: -कारिणं U. 9, 5. 11, 2. 12, 11; rarissime इं, veluti a them. इ: U. 46, 2: कञ्चुइं pro कञ्चुकिनम्; *fem.* Sk. 53, 4. वाइणीं; sed Urv. 23, 8. कारिणं rectius pro mascul. forma habetur.

III. in *Vocat. Sgl.* कञ्चुइ pro कञ्चुकिन् U. 46, 7. cf. Acc.

IV. *Instrum.* retinet इणा: अणुकम्पिणा U. 6, 16, 18. 22, 11. et in aliis multisque locis, paene constanter, arbitror. —

V. *Genit. et Ablat.* इणो: अस्समवासिणो Skt. 22, 1. 54, 2. 61, 1.

VI. *Nomin. Pl.* item इणो: धम्मआरिणो Sk. 18, 3. U. 36, 12. Mr. 199, 2.

§. 144. *Suffixum* अस्.

I. *Nom. Sgl. msc. et fem.* आ ut पुरूरवा pro पुरूरवास्, स् Nominat. abiectô U. 40, 11; et अच्छरा U. 15, 1. Skt. 20, 1; quod dubium est: cfr. no. VI: nam etiam in compositione haec vox आ utitur pro अस् s. ओ, velut Urv. 31, 1. 54, 1. 80, 10. Sak. 116. l. 1. etc. ante seq. क्, त्, व् etc. — Item *ntr.* नभो in composit. Mri. 219, 2. fit णह- pro I. declint. cf. seqq.

II. *Accusat.* पुरूरवसं U. 36, 8. (et अच्छरां s. -रं?); *ntr.* मनस् fit मणं Acc. a ntr. मण cf. Mri. 61, 3. मणं हलादि.

III. *Instrum. Sgl. ntr.* आ retinet: सिरसा pro शिरसा U. 26, 16; sed *msc.* habet एण: पुरूरवसेण U. 7, 1. pro पुरूरवसा, a recenti themate पुरूरवस cf. Acc. Simili modo invenitur

IV. *Genitivus* पुरूरवस्स U. 20, 15. pro: पुरूरवसस् ab alio item themate पुरूरव; exspectari poterat पुरूरवसस्स; cf. *Gen. ntr.* तमस्स et रजस्स Prabô. 48, 1. 56. extr. pro तमसस्, रजसस्.

V. *Locativ. Sgl.* sicuti in skr. असि retinuit: पुरूरवसि U. 35, 14. Skt. 20, 1: तबसि; nescio tamen an saepius habeat ए pro असि, a themate in अ pro अस्: ut णमे pro नमसि U. 25, 6. ibidem 68, 6: सरे, cf. §. 30, 2; Mri. 201, l. 4: मणे pro मनसि. cf. Lenz. not. U. 181.

VI. *Instrument. plural. vocis* अप्सरस्

Sunt hôc loco quaedam addenda, quae §. 123. *a*, ubi de Instr. fem. I. decl. in आहिं desinente loquuti sumus, consulto praetermisimus. Pro sanskrita formâ अप्सरोभिस् in Prâkrit. reperitur: अक्करेहिं, quae nihil habet, arbitror, cur dubitemus, quin vera sit atque genuina. Huius quidem formae, quae Urv. pg. 40. lin. 1. legitur, omniumque codicum a Lenz. collatorum consensu confirmatur et probatur, Bopp. nuperrime in Vgl. Gr. II. pg. 315-16. mentionem fecit, qui tamen, quum diphthongum ए ex ओ diminutam seu degeneratam esse dicat, quod ad hancce prâkritam formam attinet, me certe non plane assentientem habet, quamvis de zendicis non dissentiam. Sed de illis zendicis f. non me decet iudicare. — Alias prâkritas

formas, quae pro skr. ओ, *Nomin. term.*, habent ए, ita explicare ausus sim, ut अस् proprium transierit (aut in ओ, aut) in ए, §. 111, 6. Diphth. autem ओ in ए transiisse in *mediis verbis* (a + *u* = a + *i*), nullo *prâkrito* loco probari posse iudico; ante sonoras hic illic retinetur, nisi potius ipsum thema mutatur: अस vel अ pro अस्; rarissime etiam ante surdas lit. Sed vox अप्सरो- nunquam in pr. reperitur, cf. locos sub no. I. allatos. Quare liceat dubitare, num अच्छेहिं pro अच्छाहिं dictum sit, quam formam V. D. l. c. suspicatur; quae quidem, si inveniretur, sueto more ex अप्सरोभिस् orta esset: nihilominus cum -एहिं nihil habere videtur commune. Nam ut dicam quod sentiam, — quod nisi Boppii sententiam legissem, paucis tantum tetigissem verbis, quippe quod ex totâ hâc huius decl. enarratione satis perspicuum esse arbitrer, — nostra अच्छेहिं altera forma est pro अच्छाहिं (skr. अप्सराभिस्) a Nominativo अच्छा, quae in Prâkr. invenitur, sicuti in Skr., si quidem Wilsoni — cf. Lexic. II. pg. 51, *a*. — fides est habenda. Sed utut res sese habet, fac ut अप्सरा, quô Chézy etiam in Comm. suo utitur, in skr. non reperiatur; eodem tamen iure, quo ex पुरूरवस् Gen. पुरूरवस्स fit, ex ipso etiam अप्सरस् अच्छाहिं fieri potuerit; et haec ipsa forma invenitur semel certe in Ratnâv. 91, 1. — Iam vero sequentem voc. ए statuo vocalem आ immutasse in ए, sicuti eandem vim in voc. अ (cf. §. 123. et दामेहिं) et in आ (अम्हेहिं, दुवेहिं etc.) exercuit. Testis sit praeterea ipsa *feminina* forma Instr., quae legitur Mri. pg. 231, 3: अम्बिकमादुकेहिं pro -मातृकाभिस्; cfr. verbor. आ et ए §. 190. *g*.

§. 145. Ceterorum suffix. pauca tantum et singula exempla restant, quae hôc loco comprehendi possunt. Cf. Sak. 81, 1. Nom. आसिसा pro आशीस् (आशिस् Bpp. Gr. crit. r. 210.); वाआ- Sak. 29, 1, omiss. च्; दिसा-, दिह- U. 38, 11. M. M. 57, 3; रुक्खस- Sak. 41, 1. (sicut पाडस = पाथस् §. 57. extr.) pro skr. them. दिश्, वाच्, रत्नो-; cf. skr. वाचा, a quali voce instrument. formae I. decl.,

velut वाअ्राए Sk. 75, 5; दिशाए Mri. 248, 3. etc. ducendae videntur esse; sed hic illic skr. terminatio servatur, cf. Mri. 95, 5. *Adverb.* दिवा; Sk. 40, 4. — Praeterea cfr. विज्जुअ्राए pro विद्युता Mri. 176, 1. (= विद्युतया?) cuius Nomin. विद्युत् mirum in modum Urv. p. 26, 12. in विज्जुलिअ्रा mutatur, quod ad vocem aliquam velut विद्युतिका videtur pertinere. Nomin. in ईयान् fit Sk. 46, 3. 47, 2. बलीअ्रो; alio loco बलीअ्रं, ni fallor.

§. 146. Hae fere sunt formae Declinationis, quae in fabulis dramaticis vel tanquam usitatissimae et ubi vis occurrunt, vel in singulis et raris iisque potissimum locis inveniuntur, qui a vulgari et communi prâkritae forma plus minusve discrepant. Qua in re tamen haec ne praetermittantur, velim. Quid in Prâkrita omnino non reperiatur, non ita certo statui potest. Nam alia in iis tantum fontibus non legi verisimillimum est, ex quibus nobis hauriendum erat; alia autem fieri potuit, ut nostram observationem quamvis diuturnam effugerint; alia denique, pauca, dubia, suspecta — intacta praetermittere consultius visum est. —

§. 147. Sequitur pg. 154 - 155. tabula, quae Declinationis brevem conspectum praebeat, partim Boppiana secundum Prâkritae consuetudinem legesque immutata, partim alia exempla, in ipsa pr. reperta, continens; ita tamen ut in eandem eas potissimum formas recipiamus, quae extra omnem dubitationem positae sunt; iis autem dubitantis signum addamus, quas pro analogia ceterorum nostrâ nos coniecturâ finximus, nec vero ipsi Prâkriti loci confirmant. Quae denique inveniuntur quidem, sed tam raro et nonnisi in barbaris locis, ut pro singulis exceptionibus sint habendae, eas in loco notarum collocavimus, quae hic iam sequuntur:

Nota ad p. 154 - 55. Pro his, quae usitatiores sunt, aliae quoque formae in Prk. admissae sunt hae: 1) अ्र· अ्रा· अ्रओ· उ· ए· §. 111. — 2) ए· उ· — -त्वम् fit -त्तणं; -तण, -त्तुणं· §. 112. — 3) अ्र· ओ्रा· उ· इ seu ई· ए? §. 113. — 4) ए· उ· अ्र· §. 114. —

5) आं· अ· §. 114. — 6) एं· ए· — 6[b]) अआ· §. 115. — 7) आय· आए· अस्स· §. 116. — 8) आ· ए? §. 117. — 9) अस्य· अश्श· आह· § 118. — 10) अ· ए omittitur. आ? अए· उए· अस्मि, अम्हि, अम्मि· अं? §. 119. — 10[b]) ए· ibid. — 11) आ· ओ· उ· ए· — 12) अ· आ· §. 120. — 13) अ· आओ· — 14) आणि· आ· — 15) आ· अ· §. 121. — 16) अं? आ· ए· §. 122. — 17) एहि? ए· — 17[b]) एहिं §. 123. 144. VI. — 18) सु· §. 125. — 19) voc. इ et ई saepissime in hâc et ceteris formis confunduntur: vide §. 126. squ. — इआ· — 20) ईओ· — 21) इत्थिअं; सिरिं, सिरीं· §. 127. — 22) इत्थिए· — 23) उओ· — 24) उश्श· §. 130. — 25-27) भवं· मह, महे; भवदा; भवदो· §. 140. — 28) vel पुरूरवो et पुरूरवसो? — 29) secund. I. declinat. §. 144. VI. —

Caput VI.

I. *De Adiectivis.*

§. 148. De Adiectivorum Declinatione nihil habeo, quod addam. Est enim eadem, quae in Subst. (cfr. cap. V.) adhibetur. Restant tamen nonnulla

de Gradibus Comparationis, quos dicunt.

a) Suffixis, quae ad Compar. et Superlativum formandos in skr. adhibentur plerumque, iisdem Prâkrita utitur, hôc tantum discrimine, ut litera त्, sicuti fieri solet, in द् transierit; nonnunquam prorsus sit omissa: दर, दम, अम· Quod tam apertum est, ut paucis tantum exemplis opus sit: velut Urv. 27, 10. णिब्भअदरं pro निभततरम्; कदरो Sk. 18, 1. ibid. Superl. कदमो; पिअदमस्स Urv. 27, 11; id. Prabô. 39, 2; et Urv. 71, 4. पिअअम omissa lit. द्. Idem Superl. suffixum invenitur in प्रथम i. e. pr. पढम, quam formam interdum उ habere: पढुम, §. 18, 2. exemplis probatum est. Num propter *anteced.* lingualem lit. ढ? Vocalis अ videtur diminui, cf. zend. 𐬟𐬭𐬀𐬚𐬆𐬨𐬋 (Bopp. p. 458.), et in उ breviorem abiisse, quum lab. म sequebatur. Sed fateor non satis mihi liquet, utrum in hisce

[seqq. vide pg. 156.]

(ad §. 147.)

FORMAE PRAKRITAE

	Nom. Sgl.	Accusat.	Instrum.	Dat.	Ablat.	Genit.
m.	सिवो 1	सिवं 4	सिवेण 6	सिवाअ 7	सिवादो 8	सिवस्स 9
n.	सिवं 2					
f.	सिवा 3	सिवं 5	सिवाए [b]	सिवाए	सिवाए	सिवाए
m.	कवी	कविं	कविणा	·		कविणो
f.	मदी 19	मदीं	णदीए	मदीए		णदीए
	णदी					
	इत्थिआ	इत्थिअं 21	इत्थिआए 22			इत्थिआए
m.	भाणू 23	भाणुं	भाणुणा			भाणुणो 24
f.	वहू		वहूए?			वहूए
m.	पिदा	पिदरं	भट्टिणा			पिदुणो
f.	मादा	मादरं	मत्ताए			दुहिदाए?
f.	वाआ	वाअं	वाआए			
	दिसा					
m.	तुदन्तो 25	तुदन्तं	तुदन्तेण 26			तुदन्तस्स 27
	-वन्तो. -मन्तो					
m.	राआ	राआणं	रण्णा			रण्णो
n.	णामं?	णामं	णामेण			णामस्स
m.	धणी	धणिं	धणिणा			धणिणो
	धणिणो	धणिणं				
m.	पुरूरवा 28	पुरूरवसं	पुरूरवसेण			पुरूरवस्स
f.	अच्छरा 29	अच्छरं?	अच्छराए?			
n.	णभं?	मणं, णमो	सिरसा			तमस्स

DECLINATIONIS.

Locat.	Vocat.	N.Voc.Pl.	Acc.	Instr.	Genit.	Locat.
सिवे 10	सिव 11	सिवा 13	सिवाइं 16	सिवेहिं 17	सिवाणं	सिवेसुं 18
		सिवाइं 14	सिवाइं 16			
सिवाए[b]	सिवे 12	सिवाओ 15	सिवाओ	सिवाहिं[b]	सिवाणं	सिवासुं 18
	कवि?	कविओ 20	n. अच्छिं	{ -ईहिं	-ईणं	n. अच्छीसुं
						-ईसुं
मदीए	णादि	मदीओ	णादीओ			
		इत्थिआओ		इत्थिआहिं	इत्थिआणं	
केदुम्मि	भाणु?		भाणू	भाणुहिं		
	वाशू			वहूहिं?	वहूणं	-ऊसुं?
	भट्टा	भादरो				
		मादरो?				
				दिसेहिं?	दिसाणं?	
तुदन्ते	तुदन्त?	तुदन्ता (-तो?)		तुदन्तेहिं?	-ताणं	-तेसु?
	राअं	राआणो			अप्पणाणं	
कम्मे		णामाइं?		दामेहिं	णामाणं	णामेसुं?
	धणि	धणिणो		धणीहिं?	धणीणं?	
पुहरवसि						
अच्छराए?	अच्छरे?	अच्छराओ?		अच्छराहिं[b]	-आणं?	-आसुं?
सरे, णामे		सिराइं?		तमेहिं?	वचसाणं?	

et similibus locis maior vis tribuenda sit *antecedenti* an potius *sequenti* literae; qua de re vel doctissimis hominibus non constitisse video. —

b) Adiectiva, quae Comp. suff. ईयस्, et Sup. sff. इष्ठ utuntur, in pr. rara sunt. Compar. hic illic occurrit, य् eiecto: cf. बलीयस् §. 145. extr.; भूओ pro भूयस् Skt. 121, 2; वरीओ, गरीओ? interdum tamen ईय in इज्ज transiit. — Superlat. cf. U. 94, 2: जेट्ठ pro ज्येष्ठ, ad cuius analogiam alia possunt concludi: वरिट्ठ, गरिट्ठ, पधिट्ठ, सिरिट्ठ? cf. §. 96.

II. *De Numeralibus.*

§. 149. Eorum, quae sequuntur, aliam partem in dramatis inveni, aliam minimamque pro analogiâ ceterarum vocum conatus sum fingere. Quod de iis vero non ausus sum, quae tam variis modis mutari potuerunt, ut una et certa forma coniici prorsus nequeat. Satis sit, decem priora numeralia card. et ordinal. explicasse.

Num. I: एक Skt. 126, 2. एकाइणो; एक्कं Sk. 114, 2. Mudr. 94, 1. Prabô. 47; quod duplex क्क, quum diphth. antecedat, et servetur haud dubie, nonnisi in scribendi ratione positum et propter ipsam diphth. *productam* ortum esse iudico, pg. 96. md.; raro denique एआ- Skt. 56, 4. — *Genit.* एक्काह pro एकस्य Mri. 64, 8. sec. §. 118, *c*; — *fem.* एक्काए Mudr. 16. l. 1; *Ablat.* एकस्मात् fit Mudr. 15. l. 11: एक्कादो, quod ad form. velut एकात् recedit.

ordin. पढम Mri. 134. l. 1-2. Skt. 39, 3; rarius पढुम §. 18, 2.

Nota. Formam जेक non inveni quidem, sed a Prâkr. non alienam esse censeo: cf. persic. یک (jek. Wilk. p. 83; — german. jener, ener Graff. A. S. p. 598.); quod pag. 38. not. जेव explicantem me fugerat; sed iam videmus semivocalem y tanquam spiritum, ipsi verborum initio praefixam.

Num. II. Ea forma huius numeralis, quae in solo initio compos.

invenitur, द्वि, in prkr. sicuti in graeca lingua fit दि (δι) semivocali व abiectâ: cf. Mri. 44. lin. 6. दिउणा pro द्विगुणा §. 83, 3. E contrario द्वि etiam in वि potuerit transire (cf. ordin.) quod si बि *scriberetur,* tamen non cum zend. et lat. [illegible], bi comparaverim: §. 46, 5.

Quod attinet ad declinationem, primum *in Nominat. et Acc.* huius verbi formam *Dualis* servatam esse, multis linguis communem, non est, quod miremur: itaque Nomin. gen. fem. et ntr. fit दुवे pro द्वे, voc. उ insertâ ante व §. 78. cfr. Urv. 8, 11. Skt. 22, 4; quae forma etiam pro msc. द्वौ adhibetur: cf. Skt. 37, 3. 103. Mri. 48. l. 3. ib. 292, 1 द्वे fit वे loco dubio cfr. §. 121, *c*, 3. Attamen *masc.* peculiari sua forma द्वौ nonnunquam utitur, ita tamen ut, व eiecto, औ in ओ brevius correptum sit: §. 31, 1: cf. Mri. 195. lin. 8: दो ज्जेव pro द्वाव् एव· — Num pro दुवे etiam दुये reperitur? cf. दुयाल्ल pro दुवाल्ल et zend. [illegible] Bopp pg. 42.

Instr. Dt. Abl. skr. द्वाभ्याम् fit दुवेहिं cf. Mri. 92, l. 2. 105. l. 1. 339, 2. Mudr. 129, 3: quod ex Instr. pl. I. decl. sueto more ortum videtur, tanquam a Nom. plur. दुवा, cf. सिवा, सिवेहिं, nec vero ad Dualis termin. referendum: cf. §. 123, *b*. et seqq.

Genitivi quae fuerit forma non confirmare possum nisi tribus locis Sakuntalae, qui primo obtutu difficillimi videantur ad intelligendum, postquam autem explicati sunt, aperti et vere prâkriti, arbitror. Cf. Sk. 53, 4. et 83, 3: दोण्णम्पि; Skt. 72, 1: दोण्हं. Primum certo intelligitur, ण्ण duplex recte per assim. natum esse ex alterâ forma ण्ह; quae quum servata est, impedit, quominus दोण्णं idem esse statuamus, quod दोणं = Nom. दो + णं. Iam vero दोण्हं videtur potior et prior forma esse, quae, quantum ex sola specie externa licet coniicere, composita est ex दोस् + णं; nisi statuere mavis, pro se quamque ex skr. originem traxisse, illam quidem esse = दोर् + णं; hanc autem = दोस् + णं· Quod fieri potuerit; sed quid est दोस् vel दोर्? quid illud णं? Syllabam णं pro नाम् usitatam esse terminationem Genit. plur., nemo est, quin viderit: दोस् autem

ex Dual. forma द्वयोस् (द्स्रोस् vel दो(यो)स्) contractum est, simili modo, quam form. *dvû* pro *dvoyû*, quas Bopp. Vgl. Gr. II. pg. 358. not. affert. Itaque non est, cur haec coniectura iusto audacior videatur. Termin. एं recens prâkrito more accedit, quum Dual. term. in ओस् ulterius non intelligeretur; cf. Ablat. आदो. §. 117. Pronom. etc.

Ordinale द्वितीय fit raro विदिअ Skt. 135, 1. saepius autem, द् et य् servatis, दुदिय Mri. 135. l. 3; et दुदिअ Urv. 3, 12. Mri. 135, 1. 256, 2; denique दुइअ Rtn. 83, 1; et दुदोअ Mudr. 14, 2, rarissime voc. इ servatâ. — उभयम् fit Mri. 119, 4. उहअं. Praeterea inveni उभ et उभे cf. Bopp. Vgl. II. pg. 357.

§. 150. *Numer.* III. त्रि in compositis retinetur §. 73, 2; saepius tamen r-sonum omittit, et sequ. conson. duplex ponitur, = तिर्? cf. §. 80, 1. — Casus non invenio; sed

Ordin. तृतीय raro इ retinuit: तईए Loc. Mri. 136, 1. sapius autem cum इ: तइअं Mri. 135. l. 11. 316, 3. Mudr. 14, 2.

Numer. IV. चतुर्: Mri. 96, 1. चतुः स-?, praeterea constanter final. र् sequ. conson. assimilatur: चउग्गुणे Mudr. 94, 1; vel omittitur; et solum चतु s. चउ relinquitur. — *Nom. msc.* चत्वारस्, quam Bopp. Vgl. II. pg. 440, sicut in Pali, ita in Pr. in चत्तारो transire, recte suspicatus est, nonnisi uno loco Utt. 8, 3: चत्तारो भादरो, possum cônfirmare. Alia forma, quae Mri. 298. lin. ult. legitur चत्तालि, non dubium est, quin ad ntr. चत्वारि referri debeat, licet tanquam msc. cum इमे ए दट्ठव्वा msc. coniuncta, ideoque per चत्वारस् in comm. reddita sit. Sensus tamen est hic: haec quatuor non adspici debent.

Ordin. चतुर्थ fit recte चउत्थ Mri. 192. l. 6; sed ib. pg. 136, 8-10. चउट्ठ; et Sak. 40, 4: चउट्ठ. cf. §. 96. 98.

Numer. V. पञ्चन् servatur: पञ्च- U. 16, 15; Utt. 40, 2. Mu. 110, 2.

Ordin. पञ्चमो Mri. 192. l. 7. ibid. 137, 2-3.

Numer. VI. षष् non inveni, neque fingere ausus sum.

Ordin. षष्ठ autem fit छट्ठ Sk. 37, l. 4; seu छठ्ठ imprimis in Mri. cf. 139, 2. etc. Lit. pal. छ, quam §. 59. extr. suspicatus sum pertinere ad propriam aliquam form. च्चष् (Bopp. II. pg. 443.), item reperitur rarissime in

Num. VII. छत्त- pro सप्त Sk. 17, 1; sed सत्तमो Mri. 140. lin. 3. Prabô. 51, 8.

Num. VIII. अष्टन् fit अट्ठ Mri. 144, 3. et

Ordin. अष्टम abit in अट्ठमो Mri. 142. l. 1; ट्ठ 192, 6.

Num. IX. नवन्: णव et णवमो Mri. 192, 8.

Num. X. दशन् et दशम satis saepe दस- et दसमो, cf. lat. decem, quod *m* suum in latin. med. aevi saepe abiicit. De vocalibus इ et उ, quae interdum in hac voce reperiuntur, cf. §. 18. no. 2-3. Mri. 255. med. et 66, 2. ubi simul Genitivum habes दिशाणं et Instr. दसेहिं; cf. §. 144, VI.

Nota. Liceat paucis verbis locum aliquem tangere, qui haud dubie prâkritus est, quamvis discrepet paullulum a nostra vulgari dialecto. cf. Urvas. pg. 53. not. ad lin. 1., et Lenzii Commentarium skr. pg. 219. adnot. Hic quidem sex formas numeralium continet, dignissimas profecto, quae notentur: *a)* bis पढमं. *b)* पञ्च more usitato. cf. I.V. *c)* बीए et तीग्रं, quae contracta sunt ex द्वितीये, तृतीयम्, ita ut ex illo द् et इत्, ex hôc autem ऋत् vel त् omissa sint. Cum prima forma comparari potest धीदा pro skr. उहिता. *d)* बारह; अट्ठारहेण; दहपञ्च; ubi primum habes in initio verbi: दह pro दस — cf. pers. ده, et §. 60, 1. —; tum vero in compos. रह pro दश: दस, दह, रह. Sed non opus est, plura addere: cfr. Bopp. Vgl. II. 451. squ. ubi similium Bengalicarum form. mentio facta est. —

Ceterorum numeralium vix alia inveni quam शत quod fit सद् et सग्र cf. Urv. 53, 10. Mri. 22, 2. ibid. 219, 2. cet. सहस्स Prab. 4, 4. pro सहस्र. cf. ibid. 14, ult. Mri. 115. l. 4.

Caput VII.

De Pronominum Declinatione.

I. *Pronomen primae personae.*

§. 151. *Nomin. Sgl.* अहम्
sex habet formas, quin etiam novem, si alias Codd. lectiones in hunc numerum recipimus: अहं, मज्जि, मइं, — हज्जि, हइं, हउं, हग्गो, हगे, हग्गे, quas ut equidem omnibus quibus premuntur difficultatibus expediam non potest fieri. —

a) अहं omnium longe usitatissima est. cf. Skt. 12, 5. 14, 1. 30, l. 2. U. 14, 13. 17, 6. 77, 14. etc. Paullo longius

b) मज्जि U. 59, 1. (cf. Lenz. App. 21, Cod. D. मइं) et

हज्जि U. 69, 8. (Lz. 25: Cod. D. हउं? et C. हइ)

a sanskrita discedunt, quae apte possunt coniungi, quum inter sese congruant, exceptis literis initiall. म et ह; et quidem lit. ह eandem esse arbitror, quae in अहं adest; म autem, quod contulerim cum pers. من, ما, relictum videtur esse ex म्ह (cfr. plur. अम्हे; an ex अहं fieri potuit अम्हं?). Quod ubi conceditur, porro statuendum est, in utrâque forma voc. अ init. omissam, voc. इ autem final. additam esse. Itaque efficerentur formae अ-हं-इ et अ-मं-इ, et voc. इ, quae demonstrativae naturae est, conferri potuerit cum graeco ι in οὑτοσί, τουτί etc. Anusv. autem, quum vocalis इ adderetur, necesse erat, ut in nasalem aliquam transiret: cur tamen in ञ्, cur non in म् vel ण्, hanc rem singularem prorsus atque inauditam non audeo diiudicare. Praeterea मज्जि etiam ex Accus. potest ortum esse. Alias coniecturas mittam. De forma हउं vide Lenz. l. l. pg. 25; potestne हउ duci ex हग्गो? — Iam sequuntur

c) हग्गो, raro, cf. Prabô. 55. 58, 17; vel

हग्गे: in loco celeberrimo Skt. 110, 2, 4. 111, 4. Prabô. 32, 6, 14. Mri. 22, 2; denique cum simplici ग्:

हगे Mri. 22. extr. 24, 5. 25. 39. 240, 2. etc. Lenzio V. D. cui et

हज्जि et हग्गे Locativi sunt, tantum abest ut assentiar, ut in potiore forma हग्गो *Nominativ. mascul.* term. ओ instructum videam, ex quo iidem Nominat. हग्गे vel हगे more a Prkr. haud alieno descendant. Non deerunt fortasse, quibus हग्गो verbis: ἐγώ, *ego* similius videbitur, quam अहम्; nihilominus dubito, an ग ex ह ortum sit (h-ago = aho) quum mihi potius ह init. = skr. ह sit (in अहम्), voc. अ omissâ; ग autem hôc illove modo cum lit. pal. ज comparandum sentio. Sed vereor, ut res coniecturis efficiatur.

Nota. Burnouf et Lassen duas tantum formas prâkritas Nominat. enumerant, अहं et हं, quarum extremam in dramatis non inveni. Videtur tamen meam coniecturam probare, quippe quae vocalem अ omiserit. —

§. 152. *Accusativus Sgl.* माम्

a) plerumque fit मं Sk. 16, 1. 18, 1. 41, 1. U. 14, 6. 15, 2. 40, 13. 84, 7.

b) मइं U. 67, 4. in loco valde dubio per माम् explicatur. Eadem haec forma pro compluribus casibus videtur admissa. Num statuendum, मइं (मइ, मज्जि) ex una solâ sanskrita forma originem traxisse, postea autem tanquam indeclinabile verbum pro aliis praeterea casibus adhibitum fuisse? — Utut res sese habet, ab hôc loco non alienum videtur esse, मइ vel मइं cuique casui sanskrito vindicare, pro quo adhibentur. Quare, si मइं pro Accus. dici ex pluribus et sanis locis apertum esset, ego माइं propriam esse formam suspicarer eodem modo ex माम् ortam, quo fortasse Accus. Plur. -आइं pro -आन् cf. §. 122. Eodem modo etiam मे ferri potuerit, quod hic illic Accusativo videtur respondere, saepius tamen meliore cum iure ad skr. मे Genit. referri potest, velut U. 86, 17; item मज्झ ad Dativum. §. 154.

Nota. Formae ममं, quam Burnouf et Lass. l. l. afferunt, infra mentio fiet; cf. §. 159: तुमं; oritur nimirum ex मं + अं. —

§. 153. *Instrument. Sgl.* मया

in prâkrita quinque sexve habet formas, quarum prior ordo continet: मआ मए मइ; et quidem

a) मआ, य् eiectô, lenissima mutatio est, quare principatum teneat: cf. Sak. 85. lin. 3. — Tum vero

b) मए omnium est usitatissima: cf. Urv. 16, 10. 20, 12. 29, 3. 30, 7. Skt. 14, 1. 30, 1. Mri. 55, 4. etc. — Quomodo ex म-इ-आ natum sit मए cf. §. 115. *b*. His quae proxime ad skr. accedunt, aliam adnumerandam censeo

c) मइ, cfr. Urv. 58, 19. 66, 7. et auctores libri „essai"; quae eo potissimum a ceteris *a*. *b*. differt, quod य् tanquam vocalis इ servata, sequens autem voc. आ omissa est: itaque solum मइ restat, quod tribus rursum modis mutatur; unde alter ordo oritur: मई, मइं, मे; primum

d) मई, ita ut vocalis brevis, in fine collocata, producta sit: velut Urv. 62, 2. (ubi versus anteced. similem exitum habet गई. cfr. tamen Lenz. App. 22.); tum

e) मइं, ita ut मइ Anusv. praeditum sit; quae quidem forma in dramatis hucusque editis nusquam fortasse invenitur, sed non raro in Lenzii App. cr. cf. ad U. 62, 2. 77, 5. saepius.

N o t a. De मञि, quae crux nostra in Lenz. edit. Urv. 58, 4. 77, 5. legitur, nullo tamen cod. confirmatur, nescio sane, quid statuendum; sed ad 62, 2. Cod. B. habet मणि, rectius arbitror: potestne nasalis ण् inter मइ inserta esse? Attamen, ne finem res assequatur, alia ex alia forma oritur: accedit enim ex Lz. App. pg. 21. मंइं, quod pro मणिं scriptum videtur esse. —

f) Aliam denique formam मै exemplis confirmare nequeo, quamquam legere memini; eandem Burnouf et Lass. in *essai* attulerunt. Si quidem probanda omnino, non dubium est, quin vocales अ इ (in मइ) contractae sint.

§. 154. *Dativ. et Genit. Sgl.* (मह्यम्, मम, मे) saepenumero eâdem formâ utuntur, sicuti in skr.; itaque

a) मे in Prkr. quoque pro utroque casu adhibetur: cf. Urv. 11, 3. 53, 11. 61, 15; 21, 4. 24, 12. Skt. 14, 3. 50, 4. etc.; nonnunquam ut videtur pro Ablativo. —

b) Dativi form. मह्यम् (मह्कं? §. 94.) potuit in महं, मह transire; ex quo relictum videtur: मज्झ, उ pro skr. voc. अ §. 18, 2. cf. U. 63, 7. 61, 16. 71, 4. Ex Genitivo autem मम, quo explicari solet, मज्झ fieri non potuisse, satis manifestum est. —

c) मम retinetur Sak. 48, 3. 64, 1. 114, 1. U. 15, 5. 63, 6. 27, 2. 41, 1. Sed U. 42, 17. मए rectius pro Instr. accipitur, nisi forte ad veterem aliquam Genit. formam revocandum est. —

Locativum non invenio, nisi Mri. 19, 2. ubi मयि, quamquam per मया explicatur, Loc. est forma; sed non dubium, quin alia forma मइ fuerit: cf. Burn. et Lss. l. l., qui praeterea habent मम-स्मि s. ममम्मि, recentes form., ex them. मम (quod ex Gen. vel ex Acc. oritur) ducendas: unde nova declinatio, vere prâkrita, prodiit: cf. Accus. ममं, Abl. ममदु et ममाहि (nonne pro ममादो et Instr. plur. ममाहिं vel ममेहिं? cf. pronom. II. pers. et pluralis.) Vide etiam, quae Bopp. Vgl. Gr. II. pg. 472. docuit de lituan. et slavon. declin. Pro

Ablativo formam मत्तो in usu fuisse suspicor, vel मादो d. q. vide Lass., quae ad skr. मात् revocanda est: cf. सिवादो pro शिवात्. —

Pluralis pronom. I. pers.

omnes fere casus (णो excepto) a them. अस्म s. अम्ह duxit; iidemque simul more prâkr. pro Duali num. usurpantur: sicuti in declin. substantivorum fieri solet.

§. 155. *Nomin. Plur.*

uno tantummodo अम्हे utitur, quod et Lass. l. l. affert, et ipse non raro inveni: Urv. 4, 14. Sak. 15, 2. 40, 4. 118, 2. Mri. 74, 1. 209, 2. 305, 4. Prabô. 62. etc., tum pro आवाम्, tum pro वयम्, quae in Prkr. interierunt, excepto tamen Mri. 199. l. 4, ubi वअं reperitur. — Cum

nostrâ verâ et genuina forma licet comparare Vêdorum dialectum, quam idem अस्मे habere, a Bopp. edocti sumus: Gramm. crit. Add. ad r. 264. Vgl. Gr. p. 473. Item

pro *Accusat.* अस्मान् adhibetur: अम्हे Uttar. pg. 4. lin. ult.; nescio an saepius णो. Nisi अम्हे Acc. idem est, quod Nom. अम्हे, ex ipso अस्मान् potest natum esse.

§. 156. *Instrum. Plur.*

अस्माभिस् semper fit अम्हेहिं, sueto more. cfr. Mri. 21, 1. 326, 1. Rtn. 9, 5. 49, 1. 50, 2. Sk. 55, 4. 111, 1; pro Duali ib. 74. l. 8. 119. l. 1. Neque quidquam addatur oportet: cf. §. 144. no. VI.

Dativus non invenitur. — Ablativus, qui tanquam thema in verbis compositis adhibetur, in prâkr. plerumque in Genit. transit paucis locis exceptis, velut Skt. 113, 6. अम्हशामिणा (pro अस्मत् + स्वामिना) ubi verum thema अम्ह habes.

§. 157. *Genitivi Pluralis*

a) quae fuerit propria, ni fallor, atque genuina terminatio, nunc primum a Prâkrita docemur, अम्हाणं praebente, cf. Urv. 30, 15; pro Du. 78, 11; Skt. 113, 3: अम्हाणं ईशले pro अस्मदीश्वरे; ibid. 115, 5. Rtn. 17, 1. 67, 2: किं म्हआणं; Mri. 34, 3. Prabô. 59. l. 9. Cuius materna s. sanskrita forma अस्मानाम् fuerit. Nam अस्माकम् non Genitivi esse, dudum viderunt. Cf. Bopp Vgl. Gr. II. p. 485, ubi Vêd. formae, ex ipso अस्माकं ortae, afferuntur. Estne eodem modo illud म्हआणं accipiendum, eiectâ lit. क? —

Genitivi term. णं (pro नाम्) etiam tum usurpari, ubi in skr. nullum locum habet, docuimus §. 149. II. Quare contendamus, si placet, Prkr. अम्हाणं non ad veterem aliquem statum ipsius Skr. recedere, sed in ipsa Prkr. proprio more ortum esse.

b) *altera forma* est णो U. 26, 1. Sk. 25, 1. 55, 1. 72, 1. 85, 2.

Locativus rarissime reperitur velut Skt. 27. l. 8. अम्हेसुं, quem spurium iudicarem, nisi idem ab Lass. et Burnouf afferretur l. l. Unde ए? Num ex Nominat. अम्हे? Quidni अम्हासुं?

II. *Pronomen secundae personae.*

§. 158. *Nominat. Sgl.* त्वम्
variiis modis mutatum invenio. Prior et propria forma,

a) तुअं, skr. simillima est: Prabô. 66, 4. §. 57. B. 1; ipsum enim sanskr. त्वम् ex तु अम् natum videtur.

b) तुमं vulgaris et longe usitatissima est, cf. Urv. 13, 9. 8, 13. 26, 7. 36, 7. Skt. 8, 2. 13, 1, 7. cet., simul Accus. communis, et ita accipienda, ut ad तुम् recens Nomin. et Accus. terminatio अं *neutralis* accesserit: तुमं = तुम् + अं = त्वम् + अम् : nam त्वम्, vocali अ, quae in त्व adest, eiectâ, in तुम् transiit: §. 57. B. 2. *a*. Simili modo oritur zendic. 𐬙𐬏𐬨 (tûm) Bopp Vgl. Gr. II. §. 326. — Alia quaedam singularis f.

c) तुमे, quae Mri. 240, 2. legitur, nescio an saepius, demonstrare videtur, etiam तुमो aliquando in usu fuisse, *masculinae formae* ex त्वम् + अस्, quod tamen non inveni. Sed conferri possunt हग्गो et हग्गे, quorum certe termin. eaedem masc. sunt. Iam accedunt

d) तुज्झं, quod semel certe admittitur Mri. 80, 6; et

तुम्हं Mri. 95, 3, de quorum origine potest ambigi; attamen fortasse comparari possunt cum I. pers. मज्झ et हउं; et hâc analogiâ ductus, nescio an inductus, iudicaverim, utramque formam esse neutralem, et cum Anusv. instructam, illam quidem ex तुह (cfr. §. 161.), hanc vero ex तुमो (? cf. no. *c*.) ducendam. —

§. 159. *Accusativus Sgl.* त्वाम्

a) तुमं plerumque habet, sicut Nom. cf. Rtn. 64, 4. Sk. 47, 3. 54, 3. 75, 3. cet.; cfr. मम् + अं apud Lass. (eiusdem त्तं et तं, lit. व् ex त्व eiectâ, vel per assimilationem cum त् coniunctâ, in nostra Prk. frustra quaeruntur). Praeterea

b) पइं Urv. 61, 15. (Lz. App. p. 22. cod. B: पजि. D: पइं)

पजि U. 69, 8. (App. 25. „cod. D: पइ. C: पे; postea पै; scribendum fuisse videtur पें" Lenz.) ubi eandem vides inconstantiam, quam §. 151, *b*. animadvertimus. Num hôc fere modo orta sunt: पां·

पाइ॑· पइ॑· पइ, पणि, पे? ita ut पाइ॑ prior sit forma? an potius पइ seu पणि (पजि) potior est? De litera प, quam hôc primo loco habemus, pro skr. त्व, eandem etiam nunc amplector quam §. 46, 5. protuli, sententiam, quamvis minime mihi gratum sit, quod cum Bopp. Vgl. II. pg. 488. extr. non concinam. — Ne taceam, mire accidit, ut nunquam पु, sed solum प et तु inveniantur: quod licet nihil demonstret, videtur tamen Lenzii sententiam quodammodo probare. Redit enim ad haec: Ubi व् (s. voc. उ) *retinetur,* nunquam प invenitur; ubi autem प adiicitur, nunquam उ reperitur; ita ut प ex व natum, व in प abiisse videatur. — Sed ne hoc quidem me commovit, ut प ex „व obdurato natum" statuerem; quum mihi confirment potius ea, quae loco l. extr. addidi de vi sequ. literae व: itaque त्व fit प; non vero तु: पु; nam तु solum accuratius distinguitur a sono labiali, quam त्व.

§. 160. *Instrument. Sgl.* त्वया·

Tres priores f. possunt comprehendi: quarum princeps est

a) तुअआ, maximeque integra, cf. Skt. 23, 5, य् eiecto; त्व autem in तुअ dissolvitur, et ambae vocales retinentur; quum eae, quae sequuntur, *b*-*c*, unam voc. omiserunt, et pro या s. इआ habent diphth. ए usitatam: itaque oritur vel

b) तए, omissa व्, cfr. मए; Urv. 23, 17. 25, 5. 28, 13. 36, 5. Sak. 11, 4. 12, 1. 18, 2. 29, 5. 61, 1. 103, 3. Utt. 52. l. 3. Mri. 203, 2; vel

c) तुए, omissa अ: saepius fortasse, imprimis in dram. Rtnâv. 3, 2. 21, 1. 24, 2. 25, 2. 27, 4. 32, 3. etc. etc. Mri. 12, 2. 56, 7. 64, 2. 203, 1. Uttar. 15, 1. Prabô. 50, 9. 51, 4. Mâl. 117, 1. 122, 1. etc. etc. —

d) पइ U. 61, 16. 63, 6; - 66, 12: App. D. C. पइ॑. B. पणि·
पइ॑ U. 67, 5. App. C. पइ. B. पजि· denique
पजि U. 69, 11. - 73, 18: App. D. पइ॑. B. पजि· P. तइ, id quod tenendum est: तइ; वइ autem ubique desideratur. Iam vero repetas, quaeso, quae §. 153. *c*-*e*. prolata sunt: तइ s. पइ prior forma est, voc. इ solâ ex या relicta. — Apud Lass. l. l. legitur prae-

terea तुमए (तुमाए?) a them. तुम, quod ex तुम् Accusat. oritur, et th. मम non cum Gen. confundendum esse videtur probare.

§. 161. *Dativ. et Gen. Sgl.*

formae saepe confunduntur: utriusque casus communis est

a) ते U. 22, 13. Sk. 56, 4, saepius दे U. 4, 19. 6, 17. 17, 3. Sk. 13, 7. 110, 3. Rtn. 100, 3. Mri. 58, 2. etc. Genitivi propria f.

b) तव aut retinetur S. 70, 6. U. 27, 3. M. 25, 1. R. 54, 1; aut in

c) तुव mutatur: cf. §. 18, 2. ubi loci allati sunt.

Quae sequuntur, potius ex *Dativi* formâ तुभ्यम् ortas esse existimo. Itaque inveniuntur, primum

d) तुज्झ, recte pro lege assimilationis §. 94. cf. Skt. 52, 5. Urv. 62, 2. — Et Prabô. 58. lin. 17. (Comm.: तव)

e) उज्झ legitur, त् init. omissô. — Alia forma est

f) तुज्ज, minus accurate scripta: Mri. 193. 201. 202.

g) तुज्झह nonnisi semel Urv. 77. l. 3. invenitur, ubi rectissime per Genitivum तव explicatur: nam तुज्झह Genitivus est, licet cum skr. gen. तव nihil prorsus habeat commune, praeter unam literam त्. Videtur autem paullo difficilior, quam ut statim recte intelligatur: quare Lenzium rei perperam consuluisse arbitror verbis hisce: cf. pg. 233. „notanda est litera *expletiva* ह, formae तुज्झ adiecta". Num *explet signum Genitivi?* Etenim ह nihil aliud est, quam स्य cf. §. 118. extr.; et तुज्झह revocari potest ad skr. formam velut तुभ्यस्य; quamquam exspectamus potius तुज्झाह; sed cf. ममदु, तुमए. Neque adest quidquam, cur miremur. Dummodo Lassenii tabulam Pronomm. oculis perlustremus, non fugere potuerit, recens thema, vel तुंभ? vel तुज्झ, e Dativo तुभ्यम् formatum, in totam fere Pluralem irrepsisse: Inde nimirum Gen. pl. तुज्झाणं cet.; inde nostrum etiam तुज्झह oritur.

h) तुह saepe: U. 25, 6. 46, 7. 88, 2. Sk. 14, 1. 36, 1. 47, 1. 102, lin. 2. Mri. 80, 4. 180, 5. 204, 2. Rtn. 22, 1. 25, 2. et ter alibi. Ad quam vocem explicandam duae patent viae, quarum quae melior sit, vix potest

discerni: quaeritur enim, unde lit. ह? Aut, sicut in no. *g*, ex स Gen. orta est: तुह pro तुष्य? Gen. a th. तु? Aut ex lit. aspiratâ, seu ex भ: तुह pro तुभ = तुभ्यम्, seu ex झ: तुज्झ cf. no. *d*. — De alia forma

i) तुम्ह Prabô. 53. bis — item potest dubitari, utrum ad plur. them. तुम्हे pertinet, an, quod veri est similius ad तुह s. तुभ?, ante cuius भ s. ह Nasalis inserta sit. Conferre licet form. Instr. तुम्भेहिं ap. Lass.

k) तुम्र Mri. 45, 2. Mudr. 10. l. 10. per तव explicatur: num ex तुव orta est, lit. व् eiectâ?

§. 162. *Ablativus sgl.*

nonnunquam per तुह, de quo modo vidimus, exprimitur, ubi tamen pro Genitivo haberi potest. Praeterea Skt. 8, 2. तत्तो invenitur pro त्वत्तस्; cf. Lass. et B., qui addunt तुमादो, तुमादु a them. तुम्. cf. §. 154. *c*.

Locativus त्वयि fit तइ U. 29, 7. Skt. 86, lin. 3. rarius, Anusv. accedente, तइं U. 89, 17, ubi Codd. D. C: तइ legunt. cfr. Lass. l. l.: तुमे· तुमस्मि· तुमम्मि a themate तुम·

§. 163. *Pluralis pronom. II. personae.*

Iis formis, quas sanskr. adhibuit, in Prâkr. omnino neglectis, aliae a skr. alienae, hâc duplici ratione formatae sunt, ut pro themate aut तुम्ह accipi possit; aut तुज्झ· Formae ab illo ducendae in nostra Prâkr. occurrunt; quae vero ab altero descendunt, a B. et Lass. l. l. traditae sunt. De origine thematis तुम्ह, de qua mihi hucusque non satis constat, licet lectorem ad ea delegare, quae Bopp. Vgl. Gr. II. §. 334. docuit. Neque ego dubitabam, quin तुम्हे ex तुष्मे natum esset, cfr. अस्मे, antequam quatuor formas legeram, quae apud Lass. l. l. pro Instr. et Gen. pl. afferuntur: velut: तुम्हाणं, तुज्झाणं, तुम्माणं, तुम्भाणं, quarum tertia ex prima orta est; sesunda autem suo more ex Dat. sgl. Nonne item quarta (cfr. तुंभ· §. 161. *g*.) quae mater prioris simul et tertiae videtur esse. Quod si

ita est, totus plur. numerus, qualis in pr. reperitur, vere prâkritus est, neque quidquam cum skr. plur. habet commune. — Casus autem sunt hi:

Nominat. et Accus. Pl.: तुम्हे cf. Skt. 103, 3. 105, 1. 106, 1, vel pro युयम् et युष्मान्, vel pro Duali युवाम् usurpatur: Mri. 32, 2. 48. l. 3, 5. cet.

Instrument. pl. तुम्हेहिं Uttar. 16, 2. Mudr. 108, 2. Mâl. M. 5. lin. 9. cf. अम्हेहिं. Praeterea pro

Ablativ. Pl. pro युष्मत् in compositis semel legitur Mâl. M. 7. lin. 11: तुम्ह- वअणादो pro युष्मद्- वचनात्; —

Genitiv. Plur. तुम्हाणं cfr. §. 157. Prab. 9, 5 et 15. 56, 1. Mri. 34, 4. 180, 5; item S. 115, 4, ubi in Comm. Genit. Sgl. legitur, Plur. tamen ferri potest.

Saepius tamen ibi, ubi in skr. quoque वस् vel वाम् dici potest, altera forma वो adhibetur, cf. Urv. 54, 4. Sak. 19, 3. 53, 4. 54, 4. 56, 5. 80, 1. 88, 4. etc.

Locat. plur. nusquam reperio: attamen non dubium est, quin तुम्हासुं fuerit, aut तुम्हेसुं cf. अम्हेसुं. Apud Lassen. l. l. leguntur तुम्हेसु et तुम्मेसु (§. 125.).

N o t a ad §. 164. Itaque magnam licet observare discrepantiam, quae inter nostram tabulam eamque intercedit, quam auctores libri „essai s. P." pag. 172. exhibuerunt, uberiorem profecto, multisque formis refertam, quas reperire mihi non contigit. Quarum plurimas supra tetigimus; aliae restant, velut अम्हाहिन्तो, तुम्हाहिन्तो; अम्हा- et तुम्हासुन्तो, Ablativi, suffixo तस्, ex Instr. in हिं vel Loc. in सुं formati.

---

§. 164. Tabula, quae sequitur, usitatas formas Pronominum primae et secundae person. comprehendit, quas, paucis exceptis, in dramatis Indorum reperimus. Sunt autem hae:

	Pronom. prim. pers.	*Pronom. sec. pers.*
	Singularis.	
Nom.	अहं; मज्जि, मइं; हज्जि, हइं; हग्गो, हग्गे, हगे. हडं.	तुअं; तुमं; तुम्नं; तुमो? तुमे. तुज्जं.
Accus.	मं. मइं (मज्जि) मे? (ममं).	(तं) पइं (पज्जि) पे? तुमं.
Instr.	मआ. मए. मइ, मई, मइं, मज्जि, मे?	तुअआ. तुए, तए. पइ, पई, पइं, पज्जि, पे?
Ablat.	(मत्तो. ममादो)	तत्तो. (तुमादो)
Genit.	मे. मम	ते, दे. तव, तुव.
Dativ.	मे. मज्झ? मह, मज्ज.	ते. तुज्झ. तुज्झह. उज्झ, तुज्ज. तुह. तुम्ह. तुअ.
Locat.	मइ, मइं. (ममस्मि)	तइ, तइं. (तुमस्मि)
	Pluralis.	
Nom.	अम्हे	तुम्हे
Accus.	अम्हे. णो	तुम्हे. वो
Instr.	अम्हेहिं	तुम्हेहिं
Ablat.	अम्ह-	तुम्ह-
Genit.	अम्हाणं. णो	तुम्हाणं. वो
Locat.	अम्हेसुं	तुम्हेसुं

III. *Pronomina tertiae personae.*

a) *Demonstrativum* तत्

§. 165. *Singularis.*

Nomin. msc.: सो U. 4, 18. 13, 10, 54, 11. Skt. 67, 3. alia forma:
से vel शो Skt. 111, 6. etc. §. 60, 2.

fem.: सा U. 3, 10. 51, 16. Sk. 34, 3.

neutr.: तं cf. U. 14, 1. etc. semper, cum lit. म् s. Anusv. gen. ntr. propria: §. 46, 6. Item in

Accusativo: तं unum invenimus, ita ut tria genera non amplius distinguantur; velut pro *masc.*, quod servatur: Urv. 5, 3. 54, 8. Sak.

19,6; — *feminini* आ corripitur sueto more: U. 15,1. Sk. 28. l. 2; — *neutr.* ad तम् recedit: तं cf. U. 59,2. Sak. 18,2. Praeterea leguntur obscurae formae

ताह (comm. ताम्) U. 76,2: Lz. App. cod. B. तह; P. ताह; et

ताहि (comm. ताम्) U. 75. extr. Lz. App. C: idem; sed D. B. P: ताहिं in uno eodemque loco maxime corrupto; vox ताहि s. ताहिं, adverbialis Locativ., alibi per तत्र, et ताह (vel तह) per Genitiv. qu. vid. explicari solent; in nostro autem loco adverbialiter posita videntur, sicut U. 73, 18. तह, आ correpto, pro Adv. तत् dicitur. Accedit

तु (comm. तत्) U. 59,2: Cod. B. तं; similiter antecedunt: जं जु; sed tenendum est, metrum hôc loco breves syllabas postulare: quare तु, Anusv. abiectâ, aut pro त dicitur, aut pro तो cf. §. 114. *a.* — Pro Adverbio prâkr.

ता in comment. vel तत् legitur, vel तस्मात्: cf. U. 4, 14. 53, 11. 13, 9. Sk. 15, 3. 16, 1. et sexcenties: ता videtur ad veterem aliquam formam pertinere (तात्? cf. त-स्म-ात्).

Instrum.: तेण pro msc.: U. 54, 14. pro ntr. 21, 5. Sk. 13, 7. fem. ताए: cf. U. 35, 14. 46, 13. Skt. 34, 3. 116, 1. — nunquam, quod sciam: तए i. e. *per te* cf. §. 160. *b.*

Genitiv.: तस्स msc. et ntr. U. 5, 6. 29, 12. Sk. 50, 3. 115, 1. (111, 8. तश्श) Mri. 58, 1. etc. de से cf. §. 168. — Alia forma est

ताह minus frequens: Mri. 73, 4. 212 ult. etc., quae tamen vix unquam pro Genit. fem. usurpatur, nisi U. 76, 2?

femin. ताए, sicut Instrum., U. 15, 1. 35, 8. 39, 14. etc. et nonnisi rarissime, स् abiectô, dicitur तस्सा. cfr. Mudr. 16. l. 3.

Dat. fem. तोए Mri. 336. lin. 5. num pro ताए? cf. skr. त्यत्.

Locat.: तस्सिं Sk. 103, 3. 114, 6; saepius autem per assimil. तस्सिं: 71, 3. 74, 1. U. 13, 11. 55, 14. etc. — De alia forma: ताहिं s. ताहि, quae haud dubie ex तस्मिन् orta est, supra vidimus.

§. 166. *Pluralis.*

Nomin. masc. ते? ता? *fem.* ताओ Prabô. 17. Mri. 57, 3; *ntr.* ताइं.
Instrum.: तेहिं cf. Skt. 22, 4. *femin.* ताहिं?
Genit. masc. haud dubie तेणं. *femin.* ताणं Prabô. 39, 1.
Locat. तेसु bis Urv. 35, 6; तेसुं Sk. 159, 1; तासु Mâl. M. 46. l. 1.

Nota. Ceteros casus non inveni. Pro *Nomin. mscul.* non dubito, quin ते reperiatur. Accusat. ताइं et ताओ. Ex Adverbiis eorum, quae huc pertinent, supra etiam mentionem fecimus तदो. दाव. तत्थ. तदा. तधा. तहिं. ता etc. Singularis quaedam forma legitur Urv. 59. lin. 2. तब्बे (comm. तदा) quacum Lenz adn. 218. recte fortasse compararit bengalicum to͝bê, sed ita, ut de origine utriusque verbi nihil edoceamur; quae quidem res est difficillima.

b) *Pron. demonstrat.* इदम्.

§. 167. a) *Singularis.*

Idem thema quod in Sanskr. etiam nunc in Acc. Sgl., et Nom. et Accusat. Dual. et Plur. servatur, in Prâkrita in ceteris quoque casibus adhibetur: इम (vel इमिन् in Instr.); ita quidem, ut eae formae, quae a thematt. अ, अन et अना descendere videntur, prorsus fere interierint. Omnes autem casus, a them. इम oriundos, huc trahendos esse, satis manifestum duximus, quamquam in comm. sanskr. vel ad hoc, vel ad aliud pron. अदस् referuntur, cuius ne una quidem forma in dramatis sese mihi obviam dedit.

Nom. msc. अअं, य् omisso, pro अयम् U. 28, 16. 45, 14. Sk. 11, 4. 21, 2. *fem.* इअं U. 44, 11. Skt. 12, 1. 35. l. 2. *ntr.* इदं U. 17, 13. Sk. 14, 1.

Acc. msc. इमं U. 77, 11. Sk. 17, 3; non differt amplius ab Acc. *fem.* इमं, â correpto: Sk. 13, 1. 21, 5. 122, 2. Ratn. 20, 1. *ntr.* इमं Sk. 55, 6. 59, 2. Mri. 342, 1. — Pro skr. इदम् legitur Urv. 29, 6: इद, Anusv. abiectô, ubi tamen म्हि sequitur.

Instrum. अणेण U. 41, 7. Sk. 160, 1. retinetur; multo frequentius इमिणा U. 23, 1. 25, 10. 41, 12. 85, 4. 86, 2. Sk. 15, 1. 25, 1.

88,4. 106,1; ubi per अनेन; et Urv. 38,7. Rtn. 17. l. 2, ubi per अमु-ना redditur, quamquam neque ex hôc, neque ex illo verbo natum est. *fem.* इमाए pro अनया Rtn. 3,2. Mri. 175. l. 3. —

Genitiv. इमस्स U. 45,14. 85,5. Sak. 12,2. 105,1. pro अस्य; item Ratn. 25,4. Mri. 66,2. Mudr. 150,1; nonnunquam cum शश: इमश्श cf. Sak. 115,3. etc.; de से cf. §. 168. *fem.* इमाए sicut Instr. U. 15,6; comm. habet: अमुष्यास्.

Ablativ. इमादो et pro msc. et ntr. अस्मात् usurpatur: cf. Ratn. 32, l. 1. 37,2. Mri. 24,3. 148,4; et pro *fem.* Rt. 70, 2? (comm. अस्यास्).

Locativ. इमस्मिं vel saepius इमस्सिं: U. 45,11. 13,4. — Sk. 33, 3. 52,2. Mri. 117,1; eadem forma pro *neutr.* et pro *femin.* adhibetur: Sak. 17,1; quod alias tamen, sicut Instr., habet: इमाए cfr. Ratn. 71,3. (comm. अस्याम्).

b) *Pluralis*

formae prâkritae, quas inveni, sunt fere hae:

Nom. msc. इमे U. 41,15. *ntr.* इमाइं M. 136. l. 2. इमे ib. 298.

Instr. इमेहिं U. 46,1; — idem Rtn. 17,1. (comm. एतैस् §. 169.)

Locat. इमेसु U. 54,5. Sak. 50,2. Reliquae desiderantur; attamen Genitivum suspicor fuisse इमाणं.

§. 168. *De Genitivo* से *prâkrito.*

a) quibusnam formis in comm. skr. redditur?

से (vel शे pro से in locis barbaris: Skt. 112,1. 113,6. etc.) invenitur

1) pro अस्य: U. 41,13. Sak. 112-116. adde Rtn. 92,2. Mri. 45, l. 3. 56,5. 78,1. 94, l. 2. Mudr. 77,2.

2) pro fem. अस्यास् U. 55,1,5. 56,6. Sak. 19,6. 46,2. 54,3. Rtn. 23,2. Mri. 110,7. 208,4. Vel

3) pro तस्य: U. 13,10. 24,10. 32,6. 48,12. etc. Vel etiam

4) pro fem. तस्यास् U. 46,15. etc. Haec quidem hactenus.

Ita autem res sese habet de Urvas. imprimis et Sakunt., in quibus dramatis non multa exempla invenies, praeter ea, quae a nobis ex ipsis petita sunt. De ceteris fabulis idem licet nos observare,

attamen से in hisce vix unquam per pronomen तत् explicatum videtur esse; recte nimirum: nam pro तस्य et तस्यास् prâkritae formae तस्स et ताए — cf. §. 165. — adhiberi solent. — Iam vero videndum erit

b) quomodo forma से sit explicanda?

cuius rei duplex ratio potest admitti:

I. Quae est Boppii sententia — cfr. Vgl. Gramm. I. §. 55. II. §. 341. — से pertinet ad veterem aliquam formam Pronom. subst. III. person., cuius thema fuerit: स्व vel स्वे (sicut मे, ते), unde skr. स्वयम् et zendicum 𐬵𐬈 (hê) etc. orta sint. Summi Viri auctoritatem sequitur Giese in libro „der äol. Dialect" p. 118.

II. Liceat tamen alteram, meam, proponere. Zendic. 𐬵𐬈 (hê) et nostrum से non ex स्वे, sed ex स्य orta esse suspicor, vel ex Gen. pron. इदम्, i. e. ex अस्य, ita ut zend. pronom. 𐬵𐬈 non aliam habeat originem, quam *hê*, terminat. Genitivi, exe. gr. in 𐬬𐬆𐬵𐬭𐬐𐬀𐬵𐬈 (vĕhrka-hê) ubi *hê* ex skr. स्य natum est; cfr. *kahê* quod in Prâkrita aut kassa, aut kâ-ha fit; quum vero, quod statuere licet, अ initiale Genitivi अस्य omitteretur, tum स्य non tam in स्स, neque in सिअ, quam potius in से transiisse exspectamus, more a Prâkrit. haud alieno. cfr. §. 54. B. *b*. — Accedit, quod से Genit. in omnibus locis demonstrativam habeat significationem, quare rectissime per अस्य vel अस्यास् explicatur, nam etiam (अ-) स्यास् vix aliter poterat mutari, quam in से (vel सोए?). Item zend. *hê* significat: *eius, ei*: Bopp. pg. 52. Denique अस्स nunquam, quod sciam, in Prâkr. invenitur, uno loco Prabô. 8. excepto, ubi alteram formam स्स habemus. Itaque init. अ saepius omittitur in Prâkr. cf. §. 18.; et nonnunquam in ipsa skr. lingua.

§. 169. *Pronom. demonstr.* एतत्.

Singularis.

Nom. msc.: एसो U. 5, 6. Sk. 40, 2. एशो Sk. 113, 3, 7. ए? cf. U. 66, 12. *fem.*: एसा U. 5, 17. Sk. 13, 4. एस Prabô. 3. ante enclit.: एस-

म्हि. *ntr.*: एदं Urv. 31, 11, satis constanter (एदे Mri. 82, 3. sgl. msc.?)

Accus. msc.: एदं U. 12, 12. — णं U. 13, 12. Rtn. 23, 1.; tum rarissime एशं Sak. 113, 4. (a Nominativo एस) invenitur. *fem.*: एदं U. 14, 1. Sk. 135, 4. णं U. 11, 11. Item in *ntr.* एदं Sk. 59, 3. — ए U. 62, 2, quod tamen ex skr. एतत् relictum esse non statuerim; sed videtur ad vetus thema ए pertinere. Bopp. minor. §. 244.

Instr. एदेण Urv. 31, 1. S. 60, 2; — एदिणा Urv. 55, 16. Sk. 10, 1. Mri. 183, 1. etc., usitatior forma pro masc. et ntr. usurpatur, a recenti them. एदिन् (sicut इमिणा ab इमिन्). Inde oritur etiam एदीणा, voc. इ productâ, quod Mri. 182, 4. reperitur; — *fem.* एदाए U. 26, 14. 41, 3. Rtn. 25, 4. Mri. 183, 1.

Genit. ms. et n.: एदस्स U. 31, 8. Sk. 27, 1. 46, 2; 112, 1: एदश्श; tum invenitur: एदाह, altera forma Genit. Mri. 310. l. 3. et *fem.* एदाए ab Instr. non differre iudico; semel U. 45, 11. एदस्या, ubi alii codd. habent एदस्स; videtur scribendum esse: एदस्सा, cfr. तस्सा. जस्सा.

Locat. m. et ntr.: एदस्सिम U. 4, 4; saepius: एदस्सिं U. 22, 3. 27, 14. Sak. 76, 4; — *femin.* nihil differt ab Instrum.: एदाए Mri. 16. l. 8. 88, 7. etc.

Pluralis.

Nom. m.: एदे Sk. 9, 2. 37, 3. 77, 1. (ib. pro Du.) Rtn. 12, 1. *ntr.* एदाणि retinetur Mri. 291, 2. *fem.* एदाओ?

Genitiv.: एदाणं Mri. 79, 5. Utt. 7, 3. et एदाण Rtn. 8, 1.

Locat.: एदेसुं Sk. 8, 2. 9, 1. Mudr. 33, 1.

§. 170. *Pronomen relativ.* यत्:

Nomin. msc.: जो U. 3, 2. Sk. 86. lin. 1. जे Sk. 111, 6. *fem.*: जा U. 23, 1. Sk. 105, 1. *ntr.*: जं Sk. 18, 2.

Accus.: जं pro trib. gen. cf. U. 59, 2; ib. जु §. 165, 2.

Instr.: जेण U. 16, 10. Sk. 74, 1. *fem.*: जाए Mri. 255. l. 9.

Genit.: तस्स U. 84, 14; *fem.* ताए Sk. 57, 1. Mri. 327, 2; sed 325. l. 6. तस्सा·

Loc. m. n.: तस्सिं U. 36, 7. Sk. 69, 5; — *fem.*: ताए?

Plural. fem. Nom.: ताओ Prabô. 17; *msc.*: ते; *ntr.*: ताइं?

Instr.: तेहिं· *Gen.*: ताणं· *Loc.*: तेसुं etc.? —

§. 171. *Pronom. interrog.* किम्

Nom.: को U. 20, 18. Sk. 17, 4. का U. 17, 17. किं U. 25, 10. इ Sak. 20, 3.

Accus. fem. msc.: कं U. 27, 14. *ntr.* किं U. 13, 13.

Instr. m. n.: केण U. 3, 11. Sk. 56, 1. *fem.* काए?

Genit.: कश्श Mri. 80, 6; item 37, 3, ubi per Abl. explicatur; Genitiv. vero commodum locum habet.

Loc. m. n.: कस्सिं Prabô. 50, 13. U. 35, 12. Sk. 69, 4. *fem.*: काए?

Plur. Nom.: के? *fem.*: का Sk. 15, 2; काओ, काइं?

किञ्चि lit. final. gen. ntr. omisit Sk. 70, 4. 84, 2. cf. §. 48, 1. Sed, ni fallor etiam in किञ्चिं mutatur. De Adverbiis vix pluribus opus est; कहिं vel कहि ex Loc. natum est, cf. तहिं (Ratn. 21, 1. 20, 3.); कोस autem, quod per कथं (i. e. pr. कधं et कहं) redditur, Ratn. 25, 1. 26, 3. etc. fortasse ad कीदृश pertinet. —

§. 172. *Ceterorum Pronomm.*

paucae tantummodo formae occurrunt:

अन्य fit: *Nom.* अण्णो Sk. 70, 1. Prb. 39, 7: अण्णच; *Gen.* अण्णस्स Skt. 48, 1. Mri. 70, 2. *Gen. pl.* अण्णाणं Mudr. 39. extr. *Instr.* अण्णेहिं Mudr. 9, 1; *Loc.* अण्णेसुं etc. — सर्व fit: *Nom.* सव्वो; *Acc.* सव्वं Sk. 104, 2. *Gen. pl.* सव्वाणं U. 89, 1. etc. Item अवराणं Mri. 135, 2. pro अपरेषाम्· स्वयं fit सअं Urv. 14, 12. 90, 13.; *Loc.* सएसु pro स्वेषु Mri. 188, 3.

Nota. Reliquum est, ut hôc ultimo loco formarum quarundam singularium mentionem faciamus, quae difficillimae videntur ad intelligendum; id quod ex varia earum atque incerta interpretatione coniicere licet. Sunt autem hae:

केत्तिश्र- Rtn. 12, 4. et केत्तिश्रं U. 29, 12. comm कियत् et कियतीम्;

तेत्तिकं Mri. 252, 3. pro तावतीं; et ib. 265, 3: तेत्तिश्रं pro तावत्;

जेत्तिके Mri. 252, 3. pro यावत्याम्; et 265, 3: जेत्तिश्रं pro यावत्;

एत्तिश्रं vel एत्तिकं pro एतावत् cf. Utt. 44, 1. Mri. 87, l. 3. Ratn. 40, 1. pro एतावतीम्; ibid. 96, 2. pro ईदृशं; adde Sakt. 68. lin. 1. pro एतत्; 74. l. 3: *Genit.* एत्तिकस्स; *Instr.* एत्तिकेण 27, 1. 112, l. 2. — *Plur.* एत्तिएहिं 69, 3. pro एतैस् etc. etc.

Itaque primum satis apertum est: suffixum क vel इक in fine adiectum esse. Sed de priore parte केत्ति-, जेत्ति- vel केत्, जेत् etc. iure ambigitur. Hoc quidem intelligere mihi videor. Frustra quatuor sanskrita verba quaerimus, ex quibus prâkrita illa singula eodem modo oriri potuerint. Quare non video prorsus quid reliquum sit, nisi ut aliam partem *ex skr. verbis* natam, aliam autem *analogiae vi* in ipsa prk. procreatam esse statuamus. Haec si conceduntur, equidem iudicaverim, nostras prâkr. formas केत्तिश्रं etc. contractas esse quodam modo ex कियत्, इयत् (इयतिकाम्?) य् eiectô, इ + श्र contractis, si placet, §. 54. extr. not. II., lit. त् repetita, suff. denique इक adiuncto: itaque admissis quatuor his mutationibus orirentur केत्तिश्र, एत्तिक etc.; quorum analogiam fortasse sequuta sunt जेत्तिक et तेत्तिक. — Attamen, ne taceam, etiam यति, कति, तति + क hôc modo immutari potuerunt.

§. 173. Antequam ad prâkritam coniugationem explicandam transimus, necessarium videtur, ut hôc loco ea comprehendamus, quae prâkritae declin. imprimis propria sunt.

Observationes quaedam de Prâkrita Declinatione.

Omnia ea, quibus prâkr. declinatio differt a sanskritâ, quamvis sibi contraria videantur esse et repugnare, ad unam tamen summam rationem possunt revocari: Prâkrita totam declinationem quam maxime facilem, simplicem, commodam reddere vel studuit, vel coacta est.

I. Magnam sane partem formarum eius potissimum declinationis, quae in skr. usitatissima est, in Prâkr. receptam esse videmus, quamquam ne harum quidem terminationes integrae omnes servantur. — Quaeque enim forma duas partes continet: *radicem*, in qua inest summa notio, et *terminationem*, quae universam aliquam notionem addit, ita tamen, ut ipsius verbi notio non tam immutetur, quam certioribus potius finibus circumscribatur, et hâc illâve ratione accipienda indicetur. Utraque pars in Prâkrita quoque in uno verbo coniungitur; quare non opus est Praepositionibus, quae in recentioribus linguis terminationum munere funguntur. — Iam vero si ambae unius formae partes secum conferuntur, eam quidem longe potiorem et nobiliorem esse non negari potest, quae summam notionem involvit; terminatio autem minus necessaria et levior videatur necesse est, praesertim quum, simulatque ignoramus, qualis insit nexus verus et internus formam inter et notionem alicuius terminationis, haec certa notio nonnisi usui deberi, ideoque non multum interesse videatur, utrum terminatio aliqua tota et integra, an hôc illove modo mutata adhibeatur. Itaque in rerum natura positum est, ut tonus ab extremis terminatt. recedat, vel in ipsum verbum, vel in medias certe formas, si quidem longae vocales ante termin. antecedunt, iisque vox quodammodo cogitur ut sistat et quiescat. Ex quibus consequitur,

1) ut longae terminationum vocales corripi soleant;

2) ut consonantes fin. interdum abiiciantur.

Quam rem necessariam, ut videtur, Prâkrita tantum abest, ut evitaverit, ut hâc ipsâ liberius admissâ a skr. differat. — Unde fit, ut complures formae, quae in skr. ipsis vocalibus longis, et consonantibus characteristicis pulcherrime distinguuntur, in prkr. iisdem vel correptis vel abiectis congruant. Attamen ne opinere, Prâkritam hâc in re iusto audacius et ad arbitrium versatam esse: Immo quidquid linguae ipsius indole indignum est, id a sese alienum esse Prk.

iudicavit; nec taedet repetere, quippe quod summi sit momenti, totas syllabas nec statim neque simul eiectas esse mihi videri, sed, si quae formae nimis et totis syllabis mutilatae sunt, literas sensim pedetentimque, aliam ex alia esse eiectas. —

Et haec quidem hactenus in universum de ea ratione, quâ Skr. terminationes, quae receptae sunt, in Prâkrita mutari soleant.

II. Quod ad multas illas maximeque varias formationes attinet, quibus Sanskrita utitur, hôc quidem loco observare licet, eas, quae in skr. usitatissimae sunt, in Prâkr. multo ampliore sensu adhiberi. — Hinc illud studium oritur, quod recentes formas pro analogia ceterarum procreari iussit. Itaque

1) vel ipsa themata verborum, imprimis ea, quae minus frequentia sunt, saepe ita mutantur, ut ea, quae in aliam voc. exeunt, quam अ s. आ, suffixa in has voc. desinentia, quae vero in conson. aliquam exeunt, ipsas vocales अ s. आ sibi adiungant; tanquam ex fortibus casibus recentia themata formarentur. Praeterea ipsa compositio verborum non tam accurata et constans est, quam in skr.; neque raro fit, ut duo vel plura verba, quae in skr. arctissime coniungebantur, in pr. suâ quodque terminatione praedita ponantur.

2) Themata, ita mutata, sueto more sec. I. declin. flecti solent, cuius terminationes tam divulgatae sunt, ut vel iis radicibus nonnunquam adiiciantur, quae peculiares suas voc. servarunt. Quin etiam si termin. aliqua non intelligebatur, fieri potuit, ut recens termin. accederet; quare hic illic duplices inveniantur.

3) Accedit, quod e casibus quoque alii aliis minus necessarii videntur esse, iique, qui universam et amplam notionem involvunt, aliorum simul significationes sibi sumunt exprimendas.

4) Quod ad numerum attinet, ut in aliis recentioribus linguis, ita in Prâkr. satis visum est, aut de uno tantum vel homine, vel re, aut de pluribus quam uno sermonem esse, ipsâ formâ indicare: Itaque dualis num. totus fere interiit, suamque notionem ei

M 2

tradidit numero, qui non iam, de pluribus quam de *duobus* sed solum de pluribus omnino agi indicat.

5) Quo ulterius linguae a primo et antiquo statu discedunt, eo saepius genera verborum confunduntur. — Simulatque enim in incerto versari incipit, quae prima et vera et necessaria notio insit in verbis, in solo arbitrio positum videtur esse, quodnam genus verborum eligendum sit. — Neque aliter in Prâkr. accidisse, saepius notavimus. Cuius rei tanquam grammatico testimonio liceat loco aliquo uti, e fabula Mric'c'akat. petito, quem tamen in edit. calcutt. pg. 199. partim skr., partim prâkrite scriptum, totum in vulgarem Prâkr. ita converterim: अरे को अप्पच्चओ तुह? वअं दक्खिणत्ता अव्वत्तभासिणो ० ० ० ० अणेकदेशभासाभिण्णा जधेट्ठं मन्तेम्ह, दिट्ठा दिट्ठोवा, अण्णोवा अण्णआवा, किं सद्दविआरो? इत्थिआपुमपुंसकव्वक्खाणं अप्पत्थुदं। i. e. quae tibi dubitatio? Nos qui meridianas regiones incolimus, non ita accurate loquentes, complurium dialectorum periti, sicuti placet, dicimus *visa* vel *visus, praeclarus* vel *praeclara*. Quid nominum distinctio? Feminini, masculini, neutrius distinctam pronunciationem non moramur (non placet, insueta est).

His variis igitur modis factum est, ut prâkr. declin. constantior quodammodo et magis perspicua, attamen multo simplicior et pauperior reddita sit, quam skr. —

Caput VIII.

De Coniugatione verborum.

§. 174. Ad Prâkritam coniugationem recte et satis dilucide exponendam aptissimum duxi, primum exempla exhibere verborum satis multa, quo tota prâkrita eorum formandorum ratio fiat perspicua. In exemplis autem eligendis distribuendisque — quod attinet ad specialia tempora, e quorum numero solum Praesens tempus et

Imperativus huc pertinent — hanc ordinem sequemur, ut (cfr. Bopp. min. §. 276.) omnia verba in duas partes maiores (A. B) distribuentes, sub A: verba class. I. et VI; vba. cl. IV. et X; Passiva et Causalia; sub B: vba. II. III. VII; V. VIII; IX. cl. afferamus.

Postquam singula ita enarrata sunt atque explicata, in altera parte ea adiicientur, quae ex illis coniici poterunt, et in universum de Prâkritae coniugationis generibus, numeris, temporibus, personis, ordinn. s. classibus coniugationis etc. erunt statuenda. —

A. *Praesens.*

§. 175. *Prima pers. singul.*

A. Cl. I: भणामि U. 17, 1; वन्दामि pro वन्दे U. 13, 14. Sk. 77, 4. cfr. §. 186. (rad. वन्द् in skr. Atman., interdum Parasm.); सुमरामि Sk. 124, 1. vel शुमलामि Mri. 219, 1. pro स्मरामि cf. §. 78, 3. 190; tum पेक्खामि U. 40, 2. pro प्रेक्षे (in prâkr. semper cl. I; skr. etiam cl. IV.); गीआमि pro गायामि Mudr. 9, 1, tanquam a rad. गी, cf. गीत, गीयते. — Cl. VI: लज्जामि Sk. 63, 2. pro लज्जे; सज्जामि Sk. 74, 5. et ib. 75, 2: सज्जेमि pro सज्जामि; पुच्छेमि U. 69, 8. pro पच्छामि; इछामि U. 11, 5. 24, 10. s. इच्छामि pro eod. etc. — Cl. IV: कुप्पामि Mri. 115, 8. pro कुप्यामि. — Cl. X: चिन्तेमि U. 20, 1; तक्केमि ib. 5, 7. pro तर्कयामि; आमन्तेमि Sak. 65, 1. pro आमन्त्रये; विरअआमि Sk. 76, 4. pro -रचयामि, य् semivocali omissâ; plerumque अय fit ए sec. §. 54. — Caus.: णासेमि Sk. 122, 1. pro नाशयामि; समत्थावेमि pro -स्थापयामि U. 26, 6. Item मोहाए-मि Sk. 26. lin. 1. cfr. §. 40, II. 85, *b*; in quâ forma lit. प् s. व् causalis ante ए omissa videtur, quae in aliis huius verbi formis reperitur, et in prâkr. iis etiam verbis saepenumero additur, quae in skr. ea carent: Mri. 253, 10. लिहावेमि etc. —

B. Cl. II: ससामि pro श्वसिमि Sak. 62, 3. Bopp. §. 321; ण्हाआमि pro स्नामि Mri. 215. lin. 8. cf. §. 60, 1. a rad. ण्हा, quacum आमि coniunctum est. — Cl. III: Skr. बिभेमि, quod semel

Mri. 70, 2. servatur, alias plerumque in भोश्रामि transiit: ut Mri. 337, 3. Urv. 23, 4. 33, 2. cf. §. 28, II, 1. not. Et satis constanter देमि pro ददामि Ratn. 63, 2. Mri. 94. l. 2. ib. 156. lin. 5. etc. Itaque syllaba reduplicationis fere semper omittitur. De voc. ए cf. §. 190. *g.* — Cl. VII: Verborum, quae huic classi adscribuntur, exempla nonnisi rarissima inveniuntur in Prâkrita; et nullum pro hac I. pers. legere memini. Attamen non dubito, quin skr. युनज्मि cet. in जुञ्जामि vel जुञ्जेमि abierit. — Cl. V: सक्कणोमि pro शक्नोमि Rtn. 44, 3. etc. semper, excepto uno loco Uttar. 75, 1: सक्कुणोमि ubi non, sicut in illis exemplis, अ, sed voc. उ inserta est. cf. §. 76. 78. प्राप्नोमि fit पाविमि Urv. 75, 23; idem Cod. D. cf. Lenz. App. cr. 27, ubi alii alias formas habent: velut B: पविमि· C: पावमि· P: पावेमि· Sed nostrum पाविमि etiam alio loco, nescio cuiusnam fabulae, confirmatur. शृणोमि fit सुणोमि Mudr. 135, 9. 138, 18. cett. (rad. सुण् §. 190. *c.*). — Cl. VIII: करोमि aut retinetur: U. 87. 12. 88, 15-16; aut करेमि (seu कलेमि) factum est: U. 76, 1. Mri. 253, 12. cet. Mss. fluctuant inter duas hasce formas, quod intelligi potest ex Lenz. App. cr. ad p. 76, 1. ubi C. tertiam addit करिमि· cf. §. 190, *e-g.* — Cl. IX: जा- vel श्राणामि pro जानामि U. 43, 15. 46, 15. 54, 4. Mri. 3, 2. Bopp. §. 346. De forma Atmanêpadi, hic illic servatâ vide §. 186.

§. 176. *Secunda persona Praes.*

A. Cl. I: भणासि pro भणसि U. 8, 13. Mudr. 33. l. 4. Utt. 41, 2; सुमरेसि U. 11, 14. pro स्मरसि; et alia et multa; e contrario brevem vocalem servarunt: कीलसि Sk. 56, 2. pro क्रीडसि; पेक्खसि Urv. 8, 5. pro प्रेक्षसे; सहसि ib. 40, 1; item वत्तसि Sak. 126, 2; अरिहसि Sk. 54, 3: arhasi. Confirmatur hôc loco, quod §. 18. not. docui: nisi ita res sese haberet, exspectaremus श्रारिहेसि vel श्रारिहासि cf. §. 188, 6-7. — Cl. VI: पुच्छसि Mri. 56. l. 1. seu पुच्छसि Sk. 29, 2. pro पृच्छसि; इच्छसि Mri. 116, 2. — Cl. IV: मणोशि pro मन्यसे Mri. 329. lin. 12. ubi ए ex य = *ia* oritur: §. 54. B. *b*; nisi य

omissum esse statuas; sed पद्मसे Mu. 145. l. 2. fit बज्जासि. — Cl. X: गणेसि Sk. 153, 1. pro गणयसि; मन्तेसि Sk. 9, 3; समत्थेसि Urv. 49, 7. — जग्राबोग्रसि pro जाप्यसे Skt. 29, 1. (§. 20.) a radice जि *vincere*, Pass. vbi. causalis जापय्.

B. Cl. II: रोदसि pro रोदिषि Mri. 184, 4, quod non ad cl. VI. pertinet; पडिहासि pro भासि U. 6, 5. — Cl. III: देसि? — Cl. VII: भञ्जसि? — Cl. VIII: करेसि Sak. 65, 1. 87, 1. Ratn. 38, 3. 72, 2. — Cl. IX: जाणासि servatur Sk. 12, 3. —

§. 177. *Tertia persona Praes.*

A. Cl. I: भणदि Sk. 50, 4. 154, 4: saepius भणादि U. 47, 3. Uttar. 43, 2. vel भणेदि U. 25, 9. Sk. 47, 3; चिट्ठदि U. 13, 14. 22, 12. pro तिष्ठति; interdum ठिट्ठदि Sk. 31, 4. etc. §. 46, 4; गच्छदि U. 15, 15. 24, 8. Sk. 28, 6; रोग्रदि U. 22, 13. Sk. 23, 5; सुमरेदि Sk. 163, 1; ग्रहिलसदि Sk. 14, 4. 132, 3. et लसइ U. 53, 2. §. 187. Sed ne nimis augeam numerum horum exemplorum. — Cl. VI: पुच्छदि U. 16, 8; इच्छदि Sk. 142, 1; tum सिञ्चदि Sk. 14, 2, sed ibid. 72, 2: सिञ्चेदि, sicut ib. 47, 3: मुञ्चेदि. — Cl. IV: ताम्यति fit तम्मइ U. 53, 9. 56, 4. 57, 14; णस्सदि pro नश्यति Sak. 93, 1; et in loco aliquo Mâl. विवज्जई pro विपद्यते, et alias वज्जइ; खिज्जदि U. 32, 9. pro खिद्यते; णच्चेदि pro नृत्यति Prabô. 61, 6. cf. Urv. 59, 10: णच्चइ. — Cl. X: कामेदि pro कामयते U. 46, 13; पीलेदि pro पीडयति U. 15, 2. — *Caus.*: जाणाग्रदि pro जाणयति; saepius ए: विसबेदि. — *Passiv.*: लक्खीग्रदि pro लक्ष्यते Sak. 20, 4; सुणीग्रदि 136, 4. pro श्रूयते; खाईग्रदि et पिवीग्रदि U. 50, 1, quocum loco cf. Mri. 169, l. 6; विग्रप्पीग्रदि Sk. 50, 5; कामीग्रदि Mri. 54, 5; जुज्जइ U. 32, 5. et 22, 9: जुज्जदि; ग्राणीग्रदि pro ज्ञायते, quod Mri. 147. lin. 6. foedissime mutilatum est; ib. 112. l. 3 दीग्रदि etc. —

B. Cl. II: वीससदि pro विश्वसिति Sk. 103, 3. Item रोग्रदि (flet) pro रोदिति Mri. 182, 4; sed लुग्रदि ibid. 293. lin. 3. pro cl. VI. Cf. U. 11, 12. et 22, 8: पडिहाग्रदि, ubi ad radicem भा accessit: ग्रदि. — Cl. III: देदि pro ददाति Urv. 43, 15; raro देइ velut

Sk. 86, l. 3. — Cl. VII: haud dubie भञ्जादि etc. Quare Urv. 72. lin. 9. forma रुन्धेइ, quae primo obtutu sane difficillima videtur, haud difficilis est ad intelligendum, et recte per रुणद्धि explicatur in comm.; descendit nimirum a rad. रुध् cl. VII: rundhati, rundhêdi, rundhêi. Id quod ex iis formis satis apparet, quarum द् = त् servatur: ut Mri. 3. lin. 12: पीसेदि pro पिनष्टि a rad. पिष्, idem ib. 6, 3. — Cl. V: सुणादि? चिणेदि vel चिणोदि? — Cl. VIII: करेदि U. 80, 4. 84, 15. Sk. 19, 2. Mri. 145, 8. Altera forma gratissima est कुणइ (§. 190. *c.*) a rad. कुण् = कृ + न्, multo tamen rarior: cfr. Ratn. 7, 2. Mudr. 39, 3. — Cl. IX: जाणादि U. 7, 12. pro जानाति, sed idem Mri. 253. l. 7. जाणेदि. Tum Mri. 229. lin. 8. मूशेदि pro मुष्णाति a rad. मुष् cl. I. et IX.

§. 178. *Prima person. plur.*

A. Cl. I: गच्छम्ह U. 4, 15. Sk. 64, 6. सप्पम्ह U. 22, 9. — Cl. VI: विसम्ह pro विशामस् Sk. 17, 2. सिक्खम्ह Sk. 9, 2. pro सिक्षामस्. — Cl. IV: णस्सम्ह pro नश्यामस्? — Cl. X: पारेम्ह pro पारयावस् Sk. 74. lin. 6. — *Caus.*: विण्णवेम्ह Sk. 25, 4. pro विज्ञापयामस्. —

B. Cl. II: वीससम्ह? a rad. श्वस्. — Cl. III: देम्ह? — Cl. VII: भञ्जम्ह? — Cl. V: सुणम्ह pro शृणुवस् Du. U. 41, 13; चिणुम्ह Sk. 68, 5. — Cl. VIII: करेम्ह pro कुर्वस् Sk. 78, 2. U. 4, 16. Mri. 318. l. 2. — Cl. IX: जाणम्ह? मूसम्ह? —

De hâc term. explicanda vide §. 187. not. III; in aliis locis scriptum invenimus ह्म, in aliis म्ह rectius quidem. Sed inter ipsa haec exempla nonnulla sunt, quae meliore cum iure pro Imp. II. plur. haberi possunt, qui in Prkr. eodem prorsus exitu uti solet: cf. Sk. 71, 4.

§. 179. *Secunda person. pluralis.*

Formae huius personae et Imp. II. plur. in Prâkrita non amplius differunt, licet communis illa terminatio, qua utuntur, diversa et duplici ratione nata esse videri possit: id quod §. 187. indicabi-

mus. Liceat hôc loco exempla quaedam exhibere, qualia in commentariis explicata sunt, Praesentis: itaque leguntur:

A. Cl. I: पेक्खध Sk. 13, 6. pro प्रेक्षेथे Du. Atm.; सुमरेध Sk. 49, 2. pro स्मरथ; भणाध Mudr. 80, 1. etc.; sed Utt. 82, 1 भणाथ retinetur, nescio quo iure; — Cl. IV: मण्णे Skt. 56, 5. pro मन्येथे? Ni fallor, pro sequ. ज्ञा legi potest ध: मण्णेध? nam syllabam ध abiectam esse non facile statuerim. — Cl. X: मन्तेध pro मन्त्रयेथे Sak. 19, 3. —

B. Cl. II: समस्ससध pro समाश्वसिथ U. 5. 5. — Cl. IX: ज्ञाणध pro ज्ञाणीथ Sak. 105, 1. —

§. 180. *Tertia pers. Plur. prs.*

A. Cl. I: चरन्ति Sak. 58, 3; पसरन्ति pro Du. प्रसरतस् Sk. 73, 2; बडन्ति ib. 82, 2; लहन्ति pro Du. Atm. लभेते Mri. 321, 1. — Cl. VI: मुअन्ति pro मुञ्चन्ति Sk. 83. l. 2. — Cl. X: तंसअन्ति pro तंसयन्ति Sk. 3, 1. — *Pass.*: दीसन्ति pro दृश्यन्ते Sk. 97, 3; सुणीअन्ति Sk. 55, 1; करीअन्ति pro क्रियन्ते 74, 1. — *Caus.*: आणबेन्ति pro आज्ञापयन्ति S. 40, 3. —

B. Cl. IX: ज्ञाणन्ति pro eod. S. 105, 1.

B. *Imperativus.*

§. 181. *Secund. pers. Sing. Imp.*

A. Cl. I: भणाहि U. 26, 7; भणेहि Mri. 154. extr.; et भण्णहि Sak. 135, 4 recte pro भण; सुमर Sk. 15, 2; गच्छ U. 47, 3, et आगच्छेहि Mri. 186. l. 3; लबेहि pro लप Sk. 111, 3; आरुह pro आरोह Mri. 130, 1. Tum ठिट्ठ pro तिष्ठ Sk. 11, 2, et multo saepius चिट्ठ Mri. 17. 18. sq. Prabô. 46, 8; semel autem legitur उत्थेहि pro उत्तिष्ठ Sk. 114, 2, ubi syll. redupl. desideratur. Alia, velut हर Sak. 16, 4. रक्ख ib. 58, 3; पेक्ख ib. 55, 3. Rtn. 5, 1; जिम्ह pro जृम्भस्व Skt. 151, 1; तुवर pro त्वर S. 74. no. 1; आणेहि U. 40, 12. et आणेअ Sk. 122, 2. pro आनय. — Cl. VI: मुञ्च pro eod. bis Sk. 57, 4. — Cl. IV: उत्तम्म Sak. 18, 2. Ratn. 61, 2 pro उत्ताम्य. — Cl. X: कधेहि pro

कथय U.53,11; चिन्तेहि Sk.50,6; अवलोएहि pro -लोकय U.30,12. — *Caus.* तुवराबेहि pro त्वरयस्व U.32,6; उबत्थाबेहि pro उपस्थापय U.6,4; सिढिलेहि Sk.10,1; मोआबेहि pro मोचय U.11,8,11; विणोदेहि U.23,10.

